





Genl. 3. num. 8.

1776/6

6

40

DISSERTATIO INAUGVRALIS
DE
PACTIS BELLICIS INTER
GENTES

QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV
PRO
GRADV DOCTORIS PHILOSOPHIAE
ARTIVMQVE LIBERALIVM MAGISTRI
RITE LEGITIMEQVE CAPESSENDO

D. VI. APRILIS MDCCLXXVI.

H. L. Q. C.

PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISIONI
SVBMITTET
ERNESTVS CAROLVS WIELAND
VRATISLAVIENSIS
REG. SOCIETAT. SCIENTIAR. ET ARTIVM FRANCO-
FVRTENSIS ASSESSOR.

P. 69.



TRAIECTI CIS VIADRVM,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.



Augustinus de Trinitate Lib. I. cap. 4.

Non pigebit me, sicubi haesito, quaerere; nec pudebit, sicubi erro, discere. Proinde, quisquis haec legit, vbi pariter certus est, pergat mecum; ubi pariter haesitat, quaerat mecum; vbi errorem suum cognoscit, redeat ad me; vbi meum, reuocet me.

PARENTI. OPTVMO.
IOHANNI. MICHAELI.
WIELAND.

POTENTISSIMI. PORVSSORVM. REGIS. SVPREMO.

REDITVVM. EX. HERBA. NICOTIANA.

PER. SILESIAE. DVCATVM.

QVAESTORI.

STVDIORVM. SVORVM. PROMOTORI. SVMMA.

ANIMI. OBSERVANTIA. COLENDO.

QVO. DVCE. ET. AVSPICE.

A. TENERA. INDE. AETATE. AD. SCIENTIAE.

HVMANAE. SACRARIA.

GRESSVS. DIRIGERE. LICVIT.

QVEM. PATREM.

A. DIVINI. NVMINIS. CLEMENTIA. SIBI.

CONCESSVM. FVISSE.

INTIMO. CORDIS. AFFECTV. LAETATVR.

CVI. DENIQVE.

OMNIA. QVAE. SIBI. VEL. VMQVAM. OBTIGERVNT.

ACCEPTA. REFERT. COMMODA.

HAS. LVCVBRATIONVM. SVARVM. PRIMITIAS.
EXIGVVM. QVIDEM.
SED. VNICVM. QVOD. IAM. OFFERRI. POTEST.
MVNVS.
INCORRVPTAE. QVAE. NON. NISI.
IN. BONOS. VIROS. CADIT. TRANQVILLITATIS.
ET. AETATIS. PER. LONGAM. ANNORVM. SERIEM.
PLACIDE. FELICITERQVE. PRODVENDAE.
VOTVM. ADIVNGENS.

D. D. D.

FILIVS. AD. QVODVIS. OBSEQVII. GENVS.

PARATISSIMVS.

ERNESTVS. CAROLVS. WIELAND.

PRO-



PROOEMIUM.

Vniuersam plane quae in humanae naturae imbecillitatem cadere potest scientiam, si ratione finis ad quem tendit considerare eam velimus, ad duplex redire caput, in aprico est. Quum scilicet omnes certe, quas natura ratione atque intellectu praedita suscipit actiones, vltimum perfectionis scopum agnoscere debeant, facile patet, omnem quoque scientiam ita comparatam esse, vt vel rationem conseruandi perfectiones, quibus iam instructi sumus, doceat vel ad eam nos deducat viam, quam si sequamur fieri non potest, quin nouas acquiramus perfectiones. Scientia de legibus earumque ad facta applicatione, diuerso respectu ad utrumque quem laudauimus finem tendit. Quatenus nimirum ad perfectiones externas refer-


A tur,

tur, de iis certiores nos facit, quae ut iura nostra confer-
 ventur, et noua acquirantur fieri debent; quatenus vero
 scientiam hancce legitimam in relatione ad perfectiones in-
 ternas spectamus, nemo non videt, eam dum philosophiae
 et historiae ad obiecta iuris docet applicationem, ad pro-
 mouendas quoque animi quo regimur perfectiones esse com-
 paratam. Insigne hoc legitimae scientiae decus mecum re-
 putans, et nullum plane philosophum operam suam melius
 ac in excelsa deo quod iustum atque iniustum est doctri-
 na collocare posse, ratus, ad concinnandam hanc quam vi-
 des, LECTOR HUMANISSIME! de pactis bellicis inter gen-
 tes meditationem accingi me passus sum. Non equidem
 diffiteor, satis implicitam esse hanc nobilissimae quae de iu-
 ribus et obligationibus gentium exponit scientiae regionem,
 et ita comparatam, ut exiguae quibus instructus sum vires,
 illius pertractationi non ex asse respondeant; sed nihilo ta-
 men minus periculum faciam, quid in hoc genere valeant
 humeri, facem praefereute Philosophia, et ex genuinis Hi-
 storicae fontibus ipsam rerum naturam illustrando, de ea
 quam euoluendam mihi delegi doctrina dicturus. Vos au-
 tem penes quos hac de re est iudicium, si hoc iuuenilis in-
 dustriae specimen Vestra non plane indignum habueritis
 approbatione et emendatione:

Sublimi feriam sidera vertice!

S E C T I O I.
DE PACTIS BELLICIS INTER GENTES
IN GENERE.

§. I.

t veram pacti bellici indolem eruere possimus, age, ascendamus ad ipsos philosophiae quae ex notione hominis eiusdem affectiones exponit, fontes; quum hisce subsidiis destituti, fieri nequeat, ut accuratam obiecti huius scripturae notitiam in animum informemus. Dicitur quod colimus numen, facultate hominem exornavit maiores in dies perfectiones appetendi. Haec ipsa facultas continet stimulos illos, quibus humana natura a brutis animantibus differt; haec est quae ad summam perfectionis ideam, omnes quas suscipimus, componere nos iubet actiones. Genuina nimirum Psychologiae principia nos docent, hominem hoc praecipuum habere praeter caeteris quae tellus alit animalibus, ut non solum vim aliquam in se reconditam teneat, quae ad dirigendos machinae organicae motus comparata est, sed etiam quae nexum veritatum ex rerum notionibus euoluere valet. Qua facultate posita, fieri non potest, quin homo nexum quoque perfectionum quae in finitam cadere queunt naturam, cognoscat, easdemque ad se referat, ad se relatas appetat, atque ita ad illas sibi acquirendas omnem dirigat laborem.

§. II.

Quum iam in aprico sit, hominem ipsa natura suadente de augendis perfectionibus suis cogitare, facile etiam patet, ipsum omnia moliri debere, quae vim aliquam habent ad removenda impedimenta, quae opponuntur ipsarum perfectionum acquisitioni. Iam vero quum, ad perfectionis ideam agere iubeamur,

mur, actiones nostras non solum ad nostram, sed etiam ad promouendam societatis humanae felicitatem componendas esse videmus. Ea nimirum est vinculi illius, quo alter homo alteri iungitur indoles, ut solitaria membri cuiusdam societatis humanae perfectio procurari plane non possit, neglectis reliquorum perfectionibus. Qui igitur ad solidam aspirat felicitatem, actiones suas necessario ita componere debet, ut summus quem sequitur scopus sit generis humani felicitas; quo facto certe eueniet, ut adausis reliquorum perfectionibus suam quoque promoueat perfectionem. Quae enim, quaeso, maior vel vniquam excogitari perfectio potest ea, quae ex rite procurata aliorum felicitate ad illius auctorem redundat? et quinam splendor magis a summo perfectionis scopo aberrat, eo, quem quis superhabita aliorum felicitate quaerere non erubescit? Recte et apposite Hesiodus in *erg.* v. 265. ita pergit:

Ὅι αὐτῶ κατὰ τεύχει ἀνὴρ, ἄλλω κατὰ τεύχων
Ἡ δὲ κακὴ βελὴ τῶ βελεύσαντι κακίση.

§. III.

Ex iis quae praecedunt apparet, quemcumque sane hominem ad promouendas suas aliorumque perfectiones obligatum esse. Sed quum viribus destitui possit ad exsequendam hanc obligationem, assidue de hisce viribus augendis cogitare debet. Iam vero vires ad laudatum finem deficiunt, vel quia in se spectatae imbecillitate quadam laborant; vel quia ab aliis hominibus impedimenta iis opponuntur. Priori in casu de eo solliciti esse debemus, ut aliorum viribus ad nostrum scopum directis defectui, quem nostris in viribus deprehendimus, consulatur. Posteriori autem in casu, ut omnem curam ad remouenda impedimenta viribus nostris opposita, dirigamus, necesse est. Quod quum vel adhibitis mediis cogentibus fieri possit, immediate ad eum qui nobis impedimenta opposuit applicatis, vel sine his mediis, sed potius intercedente pacto; facile patet, utroque in casu quo facultate promouendi nostras aliorumque perfectiones destituimur, defectum hunc pactione cum aliis inita tolli posse. Quoties enim aliorum vires ad nostrum finem dirigimus, vel etiam ut alii ab impedimentis nobis opponendis abstineant efficimus, hoc

hoc vel admissis mediis cogentibus, vel interueniente pacto fieri posse nemo non videt.

§. IV.

Sermo nobis potissimum est de eo casu, quo de tollendis impedimentis viribus nostris oppositis agitur. Quae igitur hoc in genere notanda sunt, relictis aliis omnibus quae proprie huc non spectant, in medium proferamus. Quoties impedimenta viribus nostris earumque ad perfectiones promouendas applicationi opponuntur, toties etiam perceptis his impedimentis, fieri non potest, quin simul cogitemus illis non remotis futurum, vt defectus perfectionis, qui semper imperfectionem inuoluit, id est, malum aliquod in relatione ad nos oriatur. Quum autem omne malum ad nos relatum naturali ratione auersemur; auersatio autem mali quod tamquam futurum cogitamus, metus dicatur; iam apparet impedimenta viribus nostris ad producendas perfectiones directis opposita, in nobis metum producere. Quaecumque igitur ad remouenda haec impedimenta suscipimus, metus causa suscipiuntur; atque ita pactum remotiois horum impedimentorum intuitu inritum, pactum metu inritum recte dicitur.

§. V.

His ita dispositis, eorum quae modo dicta sunt, facilis erit ad pacta bellica inter gentes applicatio. Bellum pro statu acceptum dicitur status, quo plures conatu efficaci sibi inuicem mala inferendi feruntur. Bellum itaque inter gentes, quod etiam belli solemnis nomine venire solet, non est nisi status quo gentes conatu efficaci sibi inuicem mala per vim inferendi feruntur; seu vt eleganter loquitur Grotius de I. B. et P. Lib. I cap. I. §. 2. status est per vim certantium. Pacta quae inter gentes intuitu belli ineuntur, pacta bellica dicemus. Iam vero quum fieri plane non possit, quin gentes quibus vel bellum imminet, vel quae bello gerendo implicantur, eo ipso, dum nimirum vires suas ad belli procuracionem transferre coguntur, ab aliis perfectionibus promouendis remoueantur, facile patet ex bello tam praesenti, quam futuro metum oriri. Ex quo prono veluti alueo fluit; I. pacta bellica inter gentes non esse nisi pacta a gentibus belli cau-

fa, metu inita. II. Metum bellicum tam apud utrosque populos pacifcentes, quam apud alterum ex iis residere posse.

§. VI.

Quum in praesenti de eo quod iustum atque iniustum est circa pacta bellica inter gentes exponamus, ex iis autem quae praecedunt (§. 4. et 5.) satis appareat, metum ad omnia haec pacta bellica accedere; ante omnia, quatenus metus causa gesta iure suo subsistant, videamus; deinde vero iura et obligationes quae ex pacto bellico a gentibus rite inito promanant, quantum fieri poterit, euoluamus. Quod igitur ad negotium metus causa gestum attinet, primo loco contra eos disputandum erit Philosophos, qui nullum plane negotium metu interueniente vitiari, sibi aliisque persuadent. Stoici nimirum philosophi, quorum tanta, quod omnes sciunt, apud veteres Iureconsultos fuit auctoritas, talem, qualem sibi fingere conabantur sapientem nullo unquam metu perturbari posse affirmabant. Testis Iocuples, ut alios silentio inuoluamus, nobis adest Cicero in Paradoxo V. quo contenditur *ὅτι πάντες οἱ σοφοὶ, ἐλεύθεροι, πάντες δὲ μαρτυροῦνται, δούλοι.* Iam vero hanc, cuius mentio a Cicerone iniicitur, libertatem, Zeno apud Laërtium ita definit, quod eam esse dicat *ἐξουσίαν ἀποπραγίας*, id est, facultatem pro lubitu sese ad aliquid determinandi. (a) Huiusmodi libertatem quum Stoici sapienti suo tribuerent, quemcunque autem qui ea non uteretur stultum esse perhiberent, euenire aliter plane non potuit, quam ut nullum vel unquam metum sapientis animum perturbare posse atque ita eum ipsum, qui metum sentit, in causa esse de hoc metu, statuerent. Sapiens enim secundum eorum doctrinam, tanta conspicuus esse debebat mentis libertate, ut quaecumque externa sensus illius contingerent, nihilominus pro lubitu sese ad agendum determinare posset. Ex quo fluit, si Stoicorum placita sequi velimus, affirmandum quoque esse, quod sapiens nunquam cogi, atque ita interueniente licet metu semper pro lubitu suo agere; is autem qui sapiens non est, quum ipse in causa sit quo minus libertate sua utatur, non nisi supinae qua corpore eum dicunt inertiae, metum suum tribuere possit. Quibus positus in aprico est, illud Stoeae effatum: quod metu nullum plane negotium vitiari possit. (b) Sed longe aliter philosophan-

phandum est, si ad pulcram veritatis formulam accedere propius velimus. Metus enim consistit in auersatione mali cuiusdam, quod tamquam futurum cogito. Qui igitur metum nobis incutit, eo ipso etiam talem in animo nostro excitat auersationem; utpote quae naturali sane ratione ex omnibus iis oriri debet, quibus possitis perfectiones nostras imminui scimus. Quum autem ipsius naturae lege suadente, ad promouendas perfectiones, et remouenda quae nobis opponuntur impedimenta feramur, de metus quoque qui nobis incutitur, remotione cogitare debemus. Quod quum fieri non possit sine directione virium nostrarum ad hunc metus remouendi scopum, facile patet, eum qui metum incutit, alterum cui incutitur ab aliarum perfectionum promotione abstrahere, atque ita, si res absolute spectetur, contra ideam perfectionis agere. Omnia itaque ad id redeunt, utrum metus respectu inferentis sit iustus, id est, ita comparatus, ut inferens ius metum inferendi habeat, an vero iniustus; quum posteriori in casu inferens semper agat contra vltimum perfectionis scopum, atque ita contra legem naturae aliquid admittens, non possit non ipsum negotium vitare. Quando autem metus respectu inferentis pro iusto haberi queat, in iis quae subsequuntur statim dispiciamus:

a) Ex asse cum hac Stoicorum doctrina conuenit definitio libertatis quam nobis exhibet Florentinus Ictus, lib. 9. Institutionum, in L. 4. pr. D. de Statu hominum. „Libertas, inquit, est naturalis facultas eius, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut iure prohibetur.“ Quis enim non videt, hoc loco Stoicum de libertate conceptum non nisi applicari ad Iurisprudentiam; utpote quae nos docet iuris dispositione fieri posse, ut vsus earum facultatum restringatur, quibus, si solum ad naturam respicere velimus, aliquis pollet.

b) Collineant huc verba Pauli Icti qui metu coactum sine iuris honorarii beneficio omnino obligari perhibet, dum Lib. 11. ad Edict. in L. 21. §. 5. D. Quod metus causa. ita pergit: „Si metu coactus adii hereditatem: puto me heredem effici, quia quamuis si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui. Sed per Praetorem restituendus sum, ut abstinenti mihi potestas tribuatur.“

§. VII.

Metum inferens, eum vel ideo infert, quia finem ad quem obtinendum ius habet alio modo obtinere non potest; vel minus.

minus. Priori in casu metus ratione inferentis semper est iustus; posteriori vero in casu licet ex hoc negotio metus causa gesto certis sub determinationibus ius aliquod ad inferentem, et obligatio ad eum cui illatus est metus, redundare possit, (a) huc tamen, ad materiam nimirum de pactis bellicis inter gentes id ipsum non spectat; quum scilicet metus de quo nobis hoc loco sermo est, semper aut ratione inferentis iustus sit, in eo quem primum posuimus, significatu; aut certe tamen si hoc affirmari nequeat, eius cui inferitur intuitu, iustus dici possit. Bellum scilicet, quod hunc metum excitat, quodque prouti ex iis quae praecedunt abunde patet, (§. 5.) tam praesens esse potest, quam etiam futurum, aut iustum est, ratione nimirum bellum inferentis, aut iniustum. Quoties bellum iustum est intuitu illud inferentis, non potest non etiam metus qui ex hoc bello oritur, iustus esse. Iustum etenim bellum inter gentes dicitur, si ad illud suscipiendum is qui de bello alteri inferendo cogitat, vel illud actu iam intulit, ius habeat; cuius iuris, quando adsit, determinatio, ad nostrae scriptiunculae limites non spectat. Qui vero ius ad bellum contra alterum suscipiendum habet, is etiam iure media, quae si adhibeantur efficiunt, ut finis belli illius feliciter obtineri possit, applicandi gaudet. Iam vero haec media tam bello iam flagrante quam etiam antequam bellum actu inferatur applicari posse, nemo negabit; et porro metum hisce mediis recte annumerari quivis concedet. Metus nimirum ita comparatus est, ut eum cui inferitur commovere possit, adtribuenda ei a quo bellum imminet, quae eidem debentur, aut antequam bellum actu inferatur, aut etiam bello, quod iam dum geri coepit per pacis sanctionem finito. Videmus igitur utroque in casu, et quidem in priori antequam bellum vere exarferit, finem belli obtineri; qui si iustus esse ponatur, alius esse nequit, quam ut iure suo genti cuidam attributo controuersia inter gentes finiatur. (b)

a) Huc pertinet casus, si is qui in negotio metu inito obligationem quandam contraxit, sine detrimento reipublicae ab ea discedere non possit. Ponamus enim dicta sub determinatione eum cui metus incussus est, obligationem contractam negligere, et fieri non poterit, quin suis commodis consulendo saluti publicae officiat, atque ita contra ideam perfectionis agat; quam qui sequitur non potest non eo vires suas dirigere, ad

ad quod directae maxumam operantur perfectionem. Talem vero casum existere posse facile apparet, si id solum nobiscum reputare velimus, quod civis, qui metu sibi a latronibus illato, ad praestationem quandam iis sese obligavit, ab hac obligatione discedere nequeat, quoties hoc sine reliquorum civium detrimento non fieri, nec calamitas alias a latronibus civitati imminens statim propulsari possit.

b) Probe distinguendus est metus, ratione inferentis, et intuitu occasionis qua inferitur iustus. Posteriori nimirum in respectu, omnis metus intuitu belli illatus, iustus dici debet. Quaecunque enim ad finem aliquem obtinendum requiruntur, in relatione ad hunc finem iusta dicenda sunt. Metum vero in relatione ad finem belli ita comparatum esse, quis non videt? Si enim ad id non respiciamus vtrum bellum iustum sit an vero iniustum, finis huius belli semper eo redit, vt gens quaedam ab altera gente ad aliquid cogatur. Nonne autem haec ipsa coactio, vel etiam antequam bellum ipsum exarserit de vi bellica adhibenda comminatio, metum semper inuoluit? Quibus positis satis, vt opinor, in aprico est, metum a bello tam futuro, quam etiam ab eo quod iam geritur, atque adeo nec a negotiis intuitu belli susceptis separari posse, eundemque hoc in respectu semper iustum esse.

§. VIII.

Si bellum iniustum esse ponamus, tunc vel is in quo metus adesse ponitur illud aut intulit, aut de eo inferendo cogitat, vel non, seu is a quo metuitur. Priori in casu, quum ipse metuens sit aggressor, & quidem iniustus, alter autem qui metum incutit, in iusta defensione versetur, metus qui ab eo aggressori inferitur non nisi iustus esse potest intuitu inferentis. Posteriori vero in casu, quum metum inferens iniuste agat, atque ita iure ad finem destitutus, iure etiam ad media, quibus ad hunc finem pervenitur, non possit non destitui: facile patet, intuitu inferentis metum iustum dici non posse. Alia longe quaestio est, vtrum ratione occasionis qua inferitur, et in relatione ad eum cui incutitur, iustus an vero iniustus sit? In iis nimirum quae praecedunt (§. 7. not. b.) vidimus, media sine quibus finis attingi nequit, in relatione ad hunc finem iusta esse. Idem igitur etiam de metu inferentis intuitu quidem iniusto, sed quum belli causa inferatur, iusto, dicendum erit. Quod autem ad id attinet, quando scilicet metus ratione illius cui inferitur, pro iusto habendus sit, facile patet, metum ex bello proveniente, hac in relatione non nisi iustum dici posse. Metum enim, si ad eum referatur qui illo afficitur iustum dicunt, quoties ille in quo

B

adest,

adest, metuendi causa non destituitur. (a) Bellum vero tam praefens quam etiam futurum, iustissimam metuendi causam praebere, in aprico est. Nullum etenim bellum cogitari potest, ex quo non mala quaedam ad cives redundant; qui cives quum natura duce mala averfentur, quis non videt, metum belli causa oriri solitum metuentis intuitu non nisi iustum esse posse? Ex quo statim fuit, in negotiis quoque belli causa susceptis (quo etiam pacta bellica pertinent) metum tam hoc in respectu, quam in relatione ad occasionem qua incutitur iustum esse.

a) vid. Henr. Koehleri Exercitat. Iur. Natur. Exercit. VII. §. 163o.

§. IX.

Quibus hunc in modum discussis, ad ipsam iurium et obligationum, quae ex pactis bellicis inter gentes promanant, pertractationem nos convertimus. Ut vero de his rite exponere possimus, ante omnia de validitate horum pactorum nonnulla proferamus in medium. Quae validitas, quum tam ex eorum qui pactum ineunt personis, quam etiam ex modo quo pactum initur diiudicari debeat, de utroque hoc requisito paucis dispendendum erit. Quod igitur ad personas pacta ineuntium attinet, quum ex pactis bellicis et iura et obligationes oriantur, iam in aprico est, pactum bellicum ab iis valide iniri posse, qui genti aut iura acquirere, (b) aut obligationem eiusdem nomine contrahere queunt. Prius, quando non nisi consensu reipublicae expresso accedente, quando vero etiam sine huius consensus declaratione fieri possit, ea, quae sequitur, ratione determinandum est. Ius enim reipublicae iura acquirendi vel refertur ad eum penes quem summa rerum est, vel non. Priori in casu, nullum plane superest dubium illi tale ius semper et quidem sine consensu a gente, utpote quam ipse repraesentat declarato competere, ita ut hoc ius vel ipse, vel per legatum exercere possit. Posteriori autem in casu, vel ita comparatae sunt rerum gestarum gerendarumque determinationes, ut iure de quo sermo est non acquisito magnum reipublicae imminet detrimentum, vel minus. Illo in casu, quum expeditum sit, quemvis civem ad avertenda quantum fieri potest mala, quae reipublicae imminent, atque ita multo magis partem aliquam illius gentis, ad idem procurandum obligari, extra omnem dubitationis aleam positum

positum est, huiusmodi pactum quoque bellicum, quo ius reipublicae acquiritur a parte quadam gentis, vel etiam peculiari reipublicae illius membro valide iniri posse. (b) Posteriori autem in casu, quum nulla adsit vrgens necessitas, is penes quem summa rerum non est, non nisi interueniente consensu a gente expressse declarato, de iuribus eidem acquirendis pacisci poterit.

a) Probe notanda est haec distinctio, quum in theoria speciali, pactorum bellicorum, quae non a tota republica incuntur cum hostibus validas, seu, vt cum Grotio loquamur fides privata in bello et minorum in bello potestatum fides, ex hoc fonte derivanda sit.

b) Ex eodem quod hoc loco posuimus principio, ad diiudicandam pacti bellici a parte gentis iniri validitatem, facili ratione patet, si vrgens societatis cuiusdam ad gentem spectantis necessitas, et commodum evidens interueniat in pacto incundo, pactum a parte societatis cum hostibus inritum totam societatem obligare.

§. X.

Quae huc usque diximus de pactorum bellicorum validitate, ad ea solum pacta spectant, quae intuitu gentis ad quam ea a nobis referuntur, iuris acquisitionem inuoluunt. Quod iam ad ea pacta attinet, quae obligationem imponunt (c) genti, ad quam ea referimus, in relatione ad alteram gentem, si dicendum quod res est, illa nunquam sine interueniente expresso summae potestatis consensu, subsistere possunt. Nec obicere quis nobis potest, quod hoc in casu eadem vrgentis necessitatis ratio habenda sit, quam in pactis quae iura quaedam producunt ineundis, habendam esse docuimus (§. 9.) Longe aliter enim hoc loco procedit argumentatio. Singula nimirum membra ad promovendam reipublicae felicitatem, ideoque ad augendas eiusdem perfectiones, obligantur. Quoties autem iura genti acquiruntur, toties facultates agendi morales, atque ita etiam perfectiones eiusdem gentis, et quae illis continetur felicitas augentur. Contractis vero obligationibus, facultas agendi moralis restringitur; quae restrictio absolute considerata, non potest non inuoluere aliquam perfectionum imminutionem. Iam vero, ciues, societatesque in quas coiuerunt, non nisi ad promovendas reipublicae perfectiones, atque ita quaecumque has perfectiones imminuunt, euitare, tenentur. Ponamus itaque casum vrgentis necessitatis adesse; ita vt pacto bellico, quod

obligationem gentis ad quam illud iam referimus, producit, a parte huius gentis non inito, magnum periculum ipsi genti immineat; et facile apparet, hoc in casu genti optionem dari inter duas imperfectiones, quarum altera consistit in contrahenda obligatione, altera in subeundo periculo. Quum autem, quaenam inter has imperfectiones minor sit, quaenam maior, quaeque igitur eligenda sit, non nisi tota gens, vel is qui hanc gentem repraesentat, seu penes quem summa rerum est, diiudicare possit; atque nemini in republica, qui summam potestatem non habet, ius competat, de iuribus reliquorum disponendi; in aprico est, talia pacta non nisi ab eo, vel ab iis, qui suprema hac potestate sunt conspicui, valide iniri posse.

a) Ut dubiis quae nobis obiici forte possent occurramus, norandum est, aliam esse obligationem ad pactum servandum; aliam ad illud praestandum, quod in pacto continetur. Ea nimirum pacta bellica, quae intuitu gentis ad quam ea referimus, solam iuris acquisitionem continent, nullam obligationem inuoluunt ad praestandum aliquid; sed solam obligationem ad seruandum pactum, utpote quae cum quocumque pacto arcte cohaeret. Caetera autem pacta, quae obligationem quandam genti imponunt ad aliquid praestandum, duplex continent vinculum; quorum alterum tendit ad praestationem, de qua conuentum est, exhibendam; alterum vero in genere ad pactum servandum. Quae posterior obligatio, qualis sit in pactis bellicis, iam in aprico est. Semper enim, quod ex ipsa pacti bellici inter gentes notione fluit, tendit ad tollendum, eorum quae pacto placuerunt, intuitu, metum bellicum.

§. XI.

Ex iis, quae modo diximus, (§. 9. et 10.) facili ratione colligi potest, penes quem in quacumque republica ius sit pacta bellica, etiam extra casum urgentis necessitatis, cum aliis gentibus ineundi. Diuersae enim rerum, publicarum formulae, diuersis etiam personis illud ius tribuunt. Quum igitur bene ordinatae respublicae, vel monarchicam agnoscant formulam, vel aristocraticam, vel democraticam, vel formam quandam habeant, ex formulis illis simplicibus, aut omnibus aut quibusdam earum, mixtam; cuius in singulis hisce rebus publicis, ius cuius mentionem iniecit, competat, facile patet. (a) In Monarchia nimirum nullis limitibus circumscripta, monarchiae, in Aristocratia optimatibus seu proceribus, in Democratia de

demum, omnibus ciuibus coniunctim sumtis, laudatum ius attribuendum erit; utpote quod semper illi competere debet, penes quem summa rerum est. In iis autem rebuspublicis, in quibus summa potestas inter principem, optimates et populum, diuisa est, pro diuersis harum rerumpublicarum formulis, aut omnium quos modo nominauimus, aut quorundam ex iis consensus, ad pactum bellicum ineundum requiri debebit. Idem dicendum est de formulis Monarchico-Aristocraticis, Monarchico-Democraticis, et Aristocratico-Democraticis. In omnibus scilicet hisce rebuspublicis, pacta bellica condendi potestas, vel ad reseruata alterius partis, eorum penes quos summa rerum est, pertinet, vel minus. Priori in casu, is vel ii, ad quorum reseruata haec potestas referenda est, sine reliquorum consensu talia pacta condere; posteriori autem in casu, non nisi interueniente omnium, quibus summa potestas competit, consensu, eadem iniiri possunt.

a) Quaestio hoc loco oriri potest, cuiam in systemate ciuitatum, id est in vnione gentium, ad finem belli pacisque negotiorum communi instituto expediendorum, facta, ius pacta bellica inritu belli communis ineundi competat? Ad quam quaestionem si rite respondere velimus, omnino distinguendum est, vtrum gentes vnitae, omnium plane negotiorum suorum communium procurationem, cum plena potestate, in certum collegium transfulerint, nec ne? Illo in casu ius pacta bellica ineundi ad collegium illud spectat; Hoc autem in casu adhuc distinguendum est. Vel enim a gentibus illis, plena potestas pacta bellica ineundi, in tale quoddam collegium ideo expresse institutum translata est, vel minus. Priori in casu nullum superest dubium, dictum collegium vi potestatis sibi creditae laudatum ius exercere; sed posteriori in casu facili ratione patet, ius pacta bellica intuitu belli communis ineundi, non nisi accedente singularum gentium consensu exerceri posse; ita vt v. c. nulla ex his gentibus venia expresse non impetrata a communi bello discedere possit, reliquis adhuc bellum gerentibus. Quodsi vero ea sit vnionis formula, vt quaecumque ex his gentibus sola etiam bellum gerere queat, illa tamen in pactis bellicis huius belli causa iniitis, ad vnitarum gentium commoda semper respicere tenebitur. Exemplum nobis exhibet Leibnicius in Codice Iuris Gentium, P. I. num. 206. §. 7. quo loco, in instrumeto perpetui foederis a septem Heluetiae pagis cum Grisonibus mutui auxilii ferendi, tuendaeque pacis gratia a. 1497. celebrati, ea quae sequitur exstat clausula: „Si l'une de desus dictes deux parties, auoient guerres avec aucun, ne pourra prendre ne accepter paix ou trefves, que l'autre partie n'y soit aussi comprinse.“

§. XII.

Tantum de iis, quibus competit ius pacta bellica ineundi. Tam de modo quo ineuntur, prouti diximus (§. 9.), pauca subiungenda sunt. Alia autem sunt pacti bellici, quoad modum illud ineundi, requisita essentialia, alia accidentalia; quorum illa ex asse conveniunt cum iis, quae in quocumque pacto adesse debent; haec autem solemnitatibus potissimum a gentibus introductis absoluntur. Quod ad priora attinet, quum quoduis sane pactum requirat promissionis acceptationem efficacem; eadem quoque ad pacta bellica inter gentes, accedere debet. (a) Quoties igitur efficax illa promissionis acceptatio deficit, toties etiam pactum bellicum omni destituitur validitate; seu nullum est. Hic autem defectus adesse potest, tam ratione promittentis, quam etiam ratione acceptantis. Illius intuitu adest, quoties ex ipsius pacti tenore non apparet, promittentem consentire in acceptationem eius, quod promisit, ab altera parte factam. Acceptantis autem ratione adest, si ipse promissionem alterius non acceptauerit. His igitur sub determinationibus, ex pacto etiam bellico nullum oritur ius, nulla obligatio. Quod vero ad requisita pacti bellici accidentalia attinet, quae ex iis notatu sunt dignissima in theoria speciali passim afferemus, hoc loco id solum notantes, ea maxumam quoad partem ita comparata esse, vt ad praestandam securitatem, eorum, quae pacto placuerunt, servandorum intuitu, tendant. (b)

a) Pacti definitionem quam Ill. Daries in Institution. Iurispr. vniuersal. §. 415. exhibuit, quod nimirum sit promissio ab altero efficaciter, id est, ita acceptata, vt promittens consensum suum in hanc acceptationem declarauerit, hoc loco nostram fecimus; eam ita comparatam esse rati, vt veram, rei ad quam pertinet, sistat imaginem. Ponamus enim promissionem aliquam, tunc vel rogatio de eo quod promissio complectitur; illam praecedat, vel minus. Illo in casu, si ipsam rem rite dispicere velimus, rogationi inesse 1) voluntatis de iure quodam sibi acquirendo declarationem, et 2) praeuiam alterius de iure hoc nobis concedendo promissionis acceptationem, facili apparebit negotio. Quum autem in alterius promissione vere insit: 1) voluntatis de obiecto rogationis, roganti praestando declaratio; atque ita etiam 2) declaratio consensus in rogantis praeuiam acceptationem; iam patet, tali pacto, in quo rogatio praecedat promissionem, inesse illius qui rogatus est, promissionem, et efficacem quae ad quoduis pactum accedit acceptationem. Eo autem in casu, quo rogatio promissionem non praecedat, idem, quod modo diximus,

mūs, affirmandum erit. Promittens enim, vel in promittendo simul declarat, fore, vt in promissionis acceptationem consentiat, vel non. Illo in casu manifesta sunt tria, quae Ill. Daries l. c. ponit, pacti requisita; promissio nimirum, promissionis acceptatio, et promittentis in hanc acceptationem consensus. Quod si vero promittens in ipsa promissione non declarauerit consensum suum in promissionis illius acceptationem, fieri non poterit, quin incertum maneat, vtrum id quod promiserat acceptanti tribuere vere velit nec ne? quum nimirum in muda promissione ad alterius voluntatem non respexerit, atque ira hac licet declarata, promittentis voluntas exitum inuenire saepius non possit. Fieri enim potest, vt acceptans quaedam acceptationi suae adiciat, quae promittenti minus arrident. Vt igitur hoc in casu consensum suum alterius acceptationi addat, necesse est. In eandem sententiam innuere nobis videtur Grotius de I. B. et P. Lib. II. cap. 11. §. 15. vbi ita pergit: „Illud etiam quæri solet, an satis sit acceptationem fieri, an vero etiam innotescere debeat promissori, antequam promissio plenum effectum consequatur? Et certum est vtroque modo fieri posse promissionem; aut hoc modo: volo vt valeat si acceptetur; aut hoc modo: volo vt valeat si acceptatum intellexero.“ Vterque nimirum promittendi modus consensus declarationem in acceptationem promissionis inuoluit.

b) Huc, vt id vnum illustrationis gratia apponamus, pertinet clausula illa qua certa bona obligantur, in casum pacti rite non seruati. Sic v. c. quum Henricus III. Rex Franciæ a. 1598. pacem iniret cum Ferdinando, Magno Duce Hetruriæ, intuitu arcis et insulæ Ifæe, duodecim Francorum proceres sese Magno Duci obligarunt in eum casum, si pecunia intuitu restitutionis dictæ insulæ promissa a rege illi non solueretur. vid. Recueil des Traités Tom. II. pag. 614.

§. XIII.

Iam, quanam iura, quasnam obligationes in medium proferat pactum bellicum, videamus. Quum igitur quoduis pactum bellicum sit pactum metu initum, (§. 5.) atque ita, si ratione finis cuius intuitu inicitur illud spectare velimus, ad remouendum metum tendat; facile efficitur, tam iura quam etiam obligationes, quae ex tali pacto oriuntur, pro obiecto metum habere. Ponamus igitur pactum belli causa metu initum, tunc vel vtrique paciscentes metum illum sentiunt, vel non, seu solum alter ex iis. Priori in casu, nemo non videt ex inito illo pacto vrisque paciscentibus ius oriri, a se inuicem postulandi, vt metus, quatenus tenor pacti hoc iubet, tollatur; et simul ex eadem pactione obligationem intuitu paciscentium descendere,

dere, ad hunc metum tollendum. Posteriori autem in casu, quum metus non ad utrosque paciscentes pertineat, sed non nisi ad alterum ex iisdem, satis patet intuitu metum sentientis oriri ius postulandi, ut metus secundum pacti tenorem tollatur; intuitu alterius autem obligationem ad tollendum hunc metum. Quod tamen non nisi de eo casu intelligi debet, quo hoc pactum bellicum est unilaterale. Si enim bilaterale fuerit, ex eodem omnino metum sentiens ad certam praestacionem exhibendam obligari, alter autem paciscentium ius hanc praestacionem exigendi acquirere potest.

§. XIV.

Pactio bellico rite inito, facile apparet fieri non posse, ut altera ex gentibus quae illud contraxerunt, invita altera ab eodem discedat. (a) Quaestio itaque hoc loco oriri potest, quibus modis gens quaedam ab obligatione, quam in relatione ad aliam gentem pacto bellico contraxit, liberari queat? Ad quam quaestionem, si non nisi ad generalia, quae hucusque deduximus, principia respiciamus, distinguendo respondendum est. Altera gens nimirum, vel expresse vel tacite significat se alteram gentem ab obligatione ad pactum seruandum liberare, vel minus. Illo in casu, obligatio ex pacto bellico orta cessat; hoc vero in casu, vel sub certa conditione initum est pactum, vel non. Priori in casu, deficiente conditione in pacto adscripta, pactum quoque ipsum, atque ita obligatio etiam, quae ex illo descendit, resoluitur. Posteriori autem in casu, tunc demum ab obligatione pacto bellico contracta contingit liberatio, si aut id, quod pacto illo continetur, vere praestitum fuerit; aut ubi de eo praestando agitur, compensatio opponi queat. (b)

a) Hinc factum est, ut gentes foedifragae ab omni inde aeuo, reliquis gentibus apud quas maius aliquod residebat iustitiae studium, essent exosae. Exempla huius rei Graecorum Romanorumque monumenta, quae nostram tulerunt aetatem, larga nobis manu exhibent. Valerius Maximus Dictor. Factor. Memorab. Lib. VIII. cap. 6. de Hannibale qui fidem pacto bellico Nucernis et Acerranis datam fregerat „Nonne bellum, inquit, aduersus populum Romanum et Italiam professus, aduersus ipsam fidem acris gessit, mendacis et fallacia quasi praeclaris artibus gaudens?“ Aelianus in Var. Hist. Lib. VI. cap. I. in Philippo Macedone, eandem perfidiam reprobatur, dum ita pergit: „Οὐ δὲ ἐλάλη-

„νες δεινῶς αὐτὸν κατέπηξαν. καὶ ἑαυτῶν κατὰ πόλεις ἐνε-
 „χρίρισαν αὐτῶ φέροντες. — εἰ μὴν ἐφύλαξε τὰς πρὸς αὐτῶν
 „ὁμολογίας ὁ Φίλιππος, ἀλλ' ἐδωλωσατο πάντας, ἐκδικα, καὶ
 „παράνομα θρῶν.“

b) Recte Grotius de I. B. et P. Lib. III. cap. 19. §. 17. hanc compensa-
 tionem inter gentes etiam, intuitu earum quas contraxerunt obligatio-
 num, obtinere pronunciat; dum „diximus nos, si quod nostrum est, in-
 „quit, aut quod nobis debetur, consequi aliter non possumus, ab eo
 „qui nostrum habet, aut nobis debet, tantundem in re quavis accipere
 „posse: vnde sequitur, vt multo magis possimus id, quod penes nos
 „est, siue corporale est, siue incorporale, retinere. Ergo quod promi-
 „simus poterit non praestari, si non amplius valeat quam res nostra,
 „quae sine iure est penes alterum.“

§. XV.

Quibus hunc in modum disputatis vnicum superest, quod
 in hac theoria generali definire possumus, vt nimirum diuersas
 pacti bellici inter gentes species euoluamus. Iam vero, quum
 pactum bellicum duos habeat characteres, alterum, quod belli
 causa, alterum vero quod metu ineatur: (§. 5.) facile apparet,
 omnem pactorum bellicorum differentiam non nisi ex duobus
 hisce fontibus promanare posse. Quod igitur ad primum atti-
 net, bellum cuius intuitu metus oritur, vel praefens esse potest,
 vel imminens seu ita comparatum vt tamquam futurum praeui-
 deatur. Quod ad alterum spectat, metum scilicet quem gens
 quaedam alit, vel ita comparatus esse potest, vt ab alia gente
 huic actu inferatur, vel minus; seu potius apud eam gentem, ad
 quam illum referimus, ex imperfectionum, quae ex bello quo-
 dam, quod tamquam incertum, futurum tamen ponit, promanare
 possunt, cogitatione oritur. Priori in casu, metus vel ab ea gen-
 te, cum qua pactum iniri ponimus, incutitur, vel a tertia qua-
 dam gente. Ex quibus satis patet, si ex his membris determina-
 tis ea quae componi possunt componamus, quinque oriri pacti
 bellici inter gentes species. Prima species erit eorum pacto-
 rum, quae intuitu belli ratione temporis et quaestionis: an?
 incerti, quod tamen tamquam futurum spectatur a gentibus in-
 euntur. In his nimirum pactis metus quidem interuenit, at non
 ab alia gente actu incussus, sed potius metus bellicus generalis. (a)

C

Alte-

Altera species complectitur pacta bellica inter gentes intuitu belli futuri quidem, sed cuius causa metus iam inferitur, a tertio quodam imminenti, inita. Tertia species pacta bellica comprehendit, a gentibus intuitu belli praesentis a tertio illati, inita. Ad quartam speciem referenda veniunt pacta bellica a gentibus, quas inter controuersia iam orta est, belli futuri sibi inuicem inferendi intuitu inita. Quintae demum speciei annumeranda sunt pacta bellica, a gentibus bellum sibi inuicem inferentibus, intuitu huius belli inita. Quae quum ita sint, de singulis hisce speciebus nonnulla dicturi, theoriam specialem quae iam sequitur ita disponemus, vt primo loco de pactis intuitu metus bellici generalis a gentibus initis; deinde de pactis bellicis intuitu certi belli, cum eo qui metum non infert initis; tandem de pactis bellicis ab iis gentibus, ad quas bellum de quo agitur pertinet, contractis; pauca in medium proferamus. Naturali enim ratione, pactorum cum iis, a quibus bellum de quo agimus non proficiscitur, initorum pertractationem, doctrinae de pactis metus bellici generalis causa initis subiunximus; quum tam in his posterioribus, quam in illis, nullus interueniat metus a paciscentibus sibi inuicem illatus, atque ita etiam haec ipsa pacta non possint non plura, quae in illis deprehenduntur, habere communia.

a) In pactis quidem metus bellici generalis intuitu initis, dici potest interdum, gentem, cum qua conuentio celebratur, causam praebuisse metus origini, qui in altero populo resider; non tamen, illam hunc metum actu intulisse. Metus enim bellicus tunc demum inferitur, ubi, aut minae adfunt de vi bellica adhibenda, aut haec vis ipsa sese exferit. Ponamus autem pactum iniri, quo conuenit, ne alter populorum paciscentium, alteri vel vnquam bellum inferat; et hoc in casu nemo non videt, fieri posse, vt huiusce metus bellici generalis existantiae, populus qui a bello suscipiendo contra alteram gentem in rotum arceatur, ansam praebuerit; v. e. eo ipso quod ditionum suarum fines protulerit, et prae reliquis gentibus potentia, rerumque gestarum gloria eminere coeperit; vel etiam eo, quod subditis alicuius reipublicae nouas res moliri gestientibus auxilium promiserit. Numquam tamen affirmari tali in casu potest, metum bellicum generalem, ab altero populorum paciscentium, alteri actu esse incussum.

S E C T I O II.
DE DIVERSIS PACTORVM BELLICORVM
INTER GENTES SPECIEBVS.

C A P V T I.
DE PACTIS INTER GENTES METVS BELLICI
GENERALIS INTVITV INITIS.

§. XVI.

Metum bellicum generalem, in iis quae praecedunt (§. 15.) diximus, qui ex cogitatione belli tamquam futuri quod tamen ratione temporis, et ratione quaestionis: an? incertum est, promanat. Hunc metum ita comparatum esse, vt gentem ad ineundum pactum bellicum, quo ille aut tollitur aut minuitur, commouere queat, principia generalia de promouendis perfectionibus, et remouendis iis, quae perfectionem impedire possunt, (§. 1. 2. et seqq.) abunde docent. Videmus igitur in metu illo bellico generali latere fontem, ex quo multarum gentium vniones perpetuae solemnii pacti formula constitutae, aliaque foedera promanarunt, et hodie etiam promanant. Iam vero, quum foedus (a) in genere dicatur pactum quo inito plures gentes certo respectu inter se vniuntur: facili ratione apparet, pacta etiam bellica, de quibus hoc in capite fermo nobis est, ad foedera recte referri. Per tale scilicet pactum vires alterius gentis in alteram gentem, ea quae pacto placuit ratione transferuntur in finem metus remouendi; quo ipso fieri non potest, quin gentes, a quibus conuentio illa inita est, hoc in respectu vniuntur.

a) Haec tam late patens foederis significatio, a solemnitatibus, prouti nobis videtur, quas veteres in feriendis foederibus obseruare consueverant, deriuanda est. Hostiis nimirum diuino numini oblaris, gentes, seu qui ab iis ad solemnem hunc actum deputati erant, gentium nomine sibi inuicem fidem iurabant. Quae hostiae, quum potissimum in mactatis

animalibus confisterent, a foedo et sanguine caesi animalis, quod occasione huiusmodi pacti inter gentes initi immobilabatur, foedus dictum est omne pactum, accedentibus illis solemnitatibus a gentibus celebratum.

§. XVII.

Pacta metus bellici generalis intuitu inita, pro tenoris quem habent diuersitate differunt; atque ita eadem etiam diuersitas in iuribus et obligationibus, quae ex illis descendunt, obseruanda erit. Vt igitur iusto in horum pactorum pertractatione procedamus ordine, primo loco, de diuersis eorum obiectis; deinde vero, de eo quod iustum atque iniustum est circa haec pacta ineunda et inita, dispiciemus. Iam diximus, mediante pacto de quo sermo versatur, alterius gentis, cum qua altera gens paciscitur, vires in hanc posteriorem transferri, quatenus hoc per tenorem ipsius pacti fieri debet (a) (§. 15.). Ponamus igitur tale pactum iniri (b); tunc vires alterius gentis in alteram vel eatenus solum transferuntur, vt posterior gens ius exinde consequatur ab illa postulandi, vt viribus suis ad certum finem non vtatur, vel minus, seu ea contingit virium translatio, vt posterior gens ius acquirat viribus illis ad certum finem disponendi. Iam vero, quum virium haec translatio fiat ad tollendum metum: nemo non videt, in priori quem determinauimus casu, non nisi restrictionem libertatis de viribus suis disponendi in gente quadam contingere; quae restrictio vel id efficit, vt altera gens contra alteram viribus suis in bello vti nequeat, vel non; seu in medium producit obligationem ad vires suas contra tertium, qui tamen in hoc foedere haud interuenit, in bello non dirigendas. Quoties autem vires alterius gentis tollendi metus bellici generalis causa, in alteram ita transferuntur, vt de iis ad certum finem disponere possit; hic finis, vel est bellum tam inferendum tertio quam propulsanda belli a tertio illati iniuria, vel non; et hoc in casu vel bellum tertio inferendum, vel bellum quod tertius intulit propulsandum. Prouti igitur haec pacta bellica obligationem producant ad auxilium praestandum, vel in bello offensiuo, vel in bello defensiuo, vel in vtroque; foedera etiam aut offensiuo, aut defensiuo, aut ex vtrisque mixta, dicuntur.

a) Iam per se patet, pacta haec bellica vel ita comparata esse posse, vt secundum eorum tenorem gentes paciscentes sibi inuicem obligentur ad virium translationem aliquam, vel minus; seu potius eam habere in-

do-

dolem, ut altera solum ex his gentibus obligetur ad vires suas in alteram transferendas. Priori in casu foedus erit bilaterale, posteriori vero in casu unilaterale. Sed probe notandum, ex eo quod tale foedus de quo nobis sermo est, sit bilaterale, effici non posse illud bilateralem inuolvere obligationem ad tollendum metum bellicum. Altera nimirum gens per tale pactum ad hunc metum tollendum, altera ad aliam quamcumque praestationem obligari potest.

b) Eleganter hac de re disputat H. Grotius in I. B. et P. Lib. II. cap. 15. §. 5. quo loco nimirum docet, alia foedera idem constituere quod iuris naturalis est, alia aliquid ei adiciere. Ad priora refert ea, quae cum gentibus, quibuscum ante nihil plane actum est, ab alia gente ineuntur; et quibus cauetur, ne iniuriam et laesiones sibi inuicem hae gentes inferant. Quis autem non vider, haec pacta ex asse conuenire cum iis, per quae vires alicuius gentis ita restringi diximus, ut iis contra alteram gentem cum qua pactum celebravit, in bello uti nequeat? Apparet igitur pactum bellicum huius tenoris, nihil plane continere quod non iure iam naturali definitum sit; quum omnem suam vim exferat circa remouendum laesiones inferendi conatum.

§. XVIII.

Iam de singulis, quorum mentionem inieciimus, pactis bellicis, pauca in medium proferemus, ab iis quae proxime accedunt ad generales iuris naturae sanctiones, dicendi initium facturi. Quod igitur ad ea pacta attinet, quae virium restrictionem quandam inuoluunt, intuitu facultatis hisce viribus ad certum finem utendi, et quidem in bello, vel contra alteram gentem paciscentium, vel contra tertium quandam populum mouendo: facile apparet, facultatem hanc, quae per ipsam restrictionem restringitur, vel physicam esse posse, vel moralem. Physicam nimirum facultatem dicimus, eam, quae quidem secundum virium, quibus instructi sumus, physicarum indolem, non vero in respectu ad id quod iustum est atque iniustum, nobis competit; moralem vero, quae in relatione ad iuris placita actionem aliquam permittit. Satis itaque patet, restrictis per huiusmodi pactum facultatibus gentis cuiusdam physicis, non simul etiam facultates eiusdem morales restringi. In eo enim pacto, quod facultates physicas restringit, de iuribus alterius gentis cum qua illud celebratur plane non disponitur, sed solum naturali obligationi ad omittenda ea, quae laesionem aliorum inuoluunt, nouum additur vinculum. (a) Illud autem pactum bellicum, quod

quod facultatem gentis moralem restringit, semper etiam iurium restrictionem continere debet. Iam vero, quum omnia plane pacta bellica metus bellici intuitu ineantur, nemo non videt, eo, quod modo laudauimus, foedere tolli aut restringi facultatem moralem gentis cuiusdam, aliis gentibus metum bellicum atque ita bellum inferendi. Haec autem sublatio aut restrictio, quum fiat vel in relatione ad gentem, quae cum populo per hanc conventionem obligato paciscitur, vel in relatione ad alium quemuis populum; facili quibus perspicit opera, diuersa in his duobus casibus ex tali pacto iura oriri debere, de quibus vt hoc loco discipiat scripti scopus postulat.

a) Optime H. Grotius de I.B. et P. Lib. II. cap. 15. §. 5. de pactorum, quae iniuriae laesionumque euitandarum gratia ineuntur, origine disputans ita pergit: „Id inde ortum, inquit, quod regula illa iuris naturalis, „cognitionem inter homines quandam esse a natura, ac proinde nefas „esse alterum ab altero laedi, vt olim ante diluuium, ita rursus aliquo „post diluuium tempore malis moribus esset oblitterata, ita vt latrocinari „et praedas agere in externos nullo bello indicto, pro licito haberetur: „quod *συνδρισμὸν* vocat Epiphanius.“ Haec autem pacta metus, et quidem metus bellici causa iniri, quum scilicet nihil tam naturale sit, quam vt iis qui vim inferendo nos aggrediuntur, ex nostra etiam parte vis opponatur, quiuis nobis concedet. Tale vero pactum etiam foedus (*ברית*) dicitur Gen. 26. v. 28.

§. XIX.

In pacto bellico, quo facultas alicuius gentis moralis belli genti cum qua paciscitur inferendi tollitur, (quum bellum si ratione finis spectetur, sit modus finiendi controuersias inter gentes, atque ita modo controuersiam finiendi sublato, nisi alius modus substituatur, non possint non iura atque obligationes et negligi et confundi;) facile patet, modum quo controuersiae inter gentes pacificentes aliquando forsan exortae consopiri possint, definiri debere. (a) Quae definitio si negligatur, ipsa etiam pactio iure suo nunquam subsistet, vtpote quae iuris gentium placitis quam maxime est contraria, quum secundum laudati iuris dispositionem, controuersiae inter gentes quantum fieri vel vnumquam potest e medio sint tollendae. Videmus igitur per tale pactum ius introduci inter gentes, a se inuicem postulandi, vt exortae controuersiae alia quauis ratione non, autem bello terminentur. Quod autem ad pactum bellicum attinet, per

per quod gentis cuiusdam ius tertiae genti non pacifici metum bellicum inferendi, restringitur aut tollitur; satis apparet hoc ipsum fieri posse vel in fauorem gentis quae cum priori pacificitur, vel minus, seu in alium quemcumque finem. Priori in casu, intuitu gentis cuius facultas moralis restricta est, oritur obligatio ad bellum contra aliam gentem, aut determinatam aut non determinatam, eatenus non suscipiendum quatenus de hoc ipso per pactum bellicum cauetur; intuitu autem alterius gentis ius oritur huic obligationi respondens. (b) Posteriori autem in casu, ad quem omnia pacta bellica huius speciei referenda sunt, in fauorem tertiae cuiusdam gentis inita, eadem quidem, quam modo determinauimus, obligatio ex tali pacto bellico oritur, si rem, absolute spectare velimus. Sed si gentem quae promittit ad obligationes, quas ante hoc pactum initum contraxit, referamus, omnino utroque in casu distinguendum est, utrum per illam pactiōnem obligatio a gente quae facultatem suam moralem hunc in modum restringi passa est, tertio cuidam populo debita, extra casum collisionis existentem, violetur, nec ne? Priori in casu, quia gens promittens vere non habuit ius promittendi, nulla etiam obligatio nullum ius ex tali pacto oriri, bene vero tertio per hanc ipsam pactiōnem laeso iustam illa contra laedentes belli causam praebere poterit.

a) Sic Tigurense in confederatione perpetua cum quatuor aliis Heluetae populis anno 1351. d. i. Maii inita, expresse determinari curarunt modum finiendi controuersias, quae forte aliquando inter hosce confederatos oriri possent. En tibi ipsa diplomatis verba, (quod extat apud Leibnizium in Cod. Iur. Gent. diplom. P. I. n. 89.) quae huc spectant.
 „Le cas aduenant, que nous de Zurich eussions differends ou questions
 „généralement avec nos dictz alliez, de Lucerne, Vry, Schwiz et Vnder-
 „walden, ou avec aucun d'eux particulièrement, — nous par tel effet
 „envoyons aux journées à la dicté Abbaye des Hermites, et debvra à
 „la dicté ville de Lucerne, ou les trois pays tous en général, ou aucuns
 „d'eux particulièrement, qui auroient differends avec nous de Zurich,
 „eslire deux hommes de bien, et nous aussi deux autres, lesquels seront
 „tenus de jurer aux saints Evangiles, et incontinent sans delay vuidier
 „le differend par voye amiable ou par la justice; — Et s'il advenoit
 „que les quatre ne fussent d'accord, ains partis en leurs opinions; en
 „ce cas par le ferment qu'ils ont juré, seront tenus de choisir dedans
 „notre pays des ligues un superarbitre.“

b) Huc

b) Huc referenda sunt pacta bellica, quibus altera gens obligatur ad requirendum alterius gentis consentum, quoties de bello alicui inferendo cogitat. Quod autem ad eas pactiones bellicas atinet, in quibus gens, quae ab altera gente promitti sibi hanc, de qua loquimur, facultatis bellum inferendi restrictionem curat, de suo favore non cogitavit; eas semper quidem tertiae cuiusdam gentis favorem continere, sed fieri etiam posse, ut non ille favor, sed conatus quartae genti mala inferendi, causam pacto praebet, in aprico est.

§. XX.

Ad foedera iam progredimur, quibus genti pacifcenti ius tribuitur viribus alterius gentis ad certum finem utendi. Quae, quum vel defensua esse queant, vel offensua, vel ex vtrisque mixta (§. 17.) diuersa etiam iura, diuersasque ex iis nasci posse obligationes, quae tamen iam ex ipsis horum pactorum definitionibus patent, nemo non videt. Attamen ratione generalis pacti bellici tenoris, qualitates omnino communes habere possunt, quae nunc euoluemus. Iam vero, in aprico est haec pacta in genere considerata, pro temporis ad quod ineuntur discrimine, deinde vero etiam pro rationis auxilium praestandi, et tandem pro gentium contra quas hoc auxilium praestari debet diuersitate, differre posse. Quod igitur ad temporis considerationem attinet, (a) vel certum tempus chronologicè determinatum est, intra quod ea quae pacto placuerunt praestari debent, vel minus. Illo in casu foedera temporaria fati commode dici possunt; hoc autem in casu, prouti obligatio ex pacto descendens, vel ad omnes plane personas quae gentem vel vnam constituere aut repraesentare possunt pertinet, vel minus; Foedera haereditaria, et Foedera non haereditaria oriuntur. In his nimirum obligatio non quidem ad certum tempus, attamen ad certas personas restringitur; in illis ad omnes plane pacifcentium successores transit. (b)

a) Fateor equidem, hanc foederis, de quo iam sermo est, ratione temporis distinctionem, ad ea etiam pacta bellica applicari posse, de quibus §. 18. et 19. dictum fuit. Sed quum haec pacta, quae solam virium restrictionem continent, rarius sine aliarum pactio num, et eorum maxime foederum, quae nunc dispicienda sunt, admixtione, occurrere soleant, laudatam distinctionem hoc loco subiicere malui.

b) Exemplum temporarii foederis habes apud Leibnicium l. c. n. 136. in confederatione inter Carolum VII R. Franciae, et Philippum Mariam Ducem

Ducem Mediolani, ad annos centum celebrata. Ad foedera autem non haereditaria ea etiam referri debent, quorum vis secundum pacti tenorem, ad quosdam non vero ad omnes paciscentium successores pertinet. Nemo enim non videt, dicta sub determinatione vim obligandi ex tali pacto promanantem ad certas personas restrictam esse; quum in foedere haereditario, ad omnes plane personas, ad quas vel vniquam obligatio illa extendi potest, pertineat. Foederis non haereditarii solos paciscentes obligantis exemplum vid. apud Leibnizium in Cod. Iur. Gent. diplom. P. I. num. 75. foederis autem non haereditarii ad quosdam paciscentium successores pertinentis, apud eundem l. c. P. I. num. 110. §. 2.; quo loco secundum Leibnizii coniecturam in hoc diplomate confederationis inter Carolum VI. Franciae Regem et Iohannem Galeacium primum Mediolani Ducem a. 1395. initae, ita legendum: „Nous promettons et jurons en „bonne foy, — à mon dict Seigneur le Roy et à son dict premier filz „né en loyal mariage, que nous et nostre premier filz et héritier en „nostre principale Seigneurie, li serons vrays loyaux et bons amis; „et — son bon estat — et son proffit, et celuy aussi de son dict premier „filz, et héritier et successeur au dict Royaume, — nous procurerons „par routes les voyes et manières, engins et aydes.“ Foederis haereditarii autem luculentum exemplum occurrit apud laudatum Leibnizium in Mantissa C. I. G. D. P. II. num. 10. §. 2, in diplomate foederis inter Austriae et Helueticos anno 1477. initi: „So haben wir vorgenannt „Herzog Sigmund zu Oesterreich — für uns und unser erben, einer „ewigen Vereinigung Verfaendnis vereinigt, — mit den Eydgnossen „der vorberührten Staetten und Laender, gemeinlich und sonderlich, „und zu ihren Nachkommen.“ Alia exempla vid. l. c. in Mantissa P. II. pag. 116. et pag. 203. Interdum vero etiam expressa de foedere seruando successorum vbi ad regnum perueniunt declaratio requiritur. v. Leibniz. l. c. P. I. n. 201. Quo in casu tale foedus, mixtum, seu pro parte haereditarium pro parte non haereditarium dicere possumus.

§. XXI.

Si foedera intuitu rationis auxilium praestandi spectare velimus, primo statim intuitu patet, hanc rationem vel determinatam esse posse, vel non determinatam. Posteriori in casu, pro belli quod incidit, grauitate, tum vero etiam pro virium quibus gentes pacto vnitae pollent, diuersitate, quatenus auxilium praestari debeat, diiudicandum est. Priori in casu, nemo non videt, militum auxiliariorum numerum (a), imo etiam regiones intra quarum fines auxilium praestandum est, (b) et plura alia, quae, quum ex mero paciscentium arbitrio proficiantur, hoc loco enumerare foret superuacaneum, determinari

D

nari

nari posse. Complexus autem omnium harum determinationum, quae tali pacto inferuntur, Legem Foederis constituit.

a) Sic etiam in tali pactioe interdum determinari solet, vtrum ea gens quae milites mittit ad auxilium praestandum, an vero gens ad quam mittuntur, stipendia militibus exhibere debeat. Exemplum nobis exhibet Leibnicius l. c. in Mant. P. II. n. 10. §. 4. ibi: „So sollen und wollen wir — Sie helfen retten und mitzuschützen lassen, um ihren Sold den „unfern zu geben.“

b) In modo laudato foedere inter Austriam et Heluetios a. 1477. inito §. 5. talis determinatio expressa legitur „Desgleichen ob es sich „fügen würde, — das — Hertzog Sigmund von Oesterreich und seine „Erben in ihren inhabenden Landen, — bekriegt, belaegert oder be- „noethiget werden, — So sollen und wollen wir — hie dishalb dem „Adler-Berg der unfern Landen ihnen zuziehen und helfen, retten „und entschützen.“ Eiusdem tenoris pactum bellicum inuenimus, apud Leibnicius in Mantissa C. I. G. D. P. II. n. 12. inter Principem Nouicastrum et Bernenses a. 1458. initum. Ibi §. 6. et 7. „Et nous les dits de „Berne — stipulons aussi par nostre bonne foy, — de luy bailler „fidellement aide de personnes et biens de toute puissance, — c'est „assavoir jusqu'à la forest dessus Vaumarcus, et jusques à l'Eglise des „Verrieres, sans fraude.“

§. XXII.

Tertia superest relatio, in qua foedera, de quibus huc vsque diximus (§. 20.), spectari possunt. Quum enim auxilium in bello praestandi causa ineantur: iam in aprico est, eos contra quos auxilium praestari debet secundum huiusmodi pacti tenorem vel determinari posse, vel minus (a). Priori in casu, gens per pactum obligata non nisi in iis bellis, quae cum determinatis populis geruntur; posteriori autem in casu, in omni plane bello, nisi forte per alia quae accedunt haec obligatio restringatur, genti quae ius ex eodem pacto acquisiuit, auxilium ferre tenetur.

a) Nemo sane in dubium vocabit, talem populorum contra quos auxilium praestandum est determinationem hoc, etiam modo fieri posse, vt ii contra quos foedus non tendit excipiantur. Exempla in promptu habemus apud Leibnicius in C. I. G. D. P. I. n. 92. §. 17. „Nous dits „de Berne avons particulièrement réservé les alliances, que devans cette „cy avions avec qui que ce soit tandis qu'elles dureront; et nous les „dites villes des Bois, d'Ury, de Schwiz et de Underwalden avons aussi „réser-

„reservé celles que devant cette cy avec aucuns avions; les quelles
 „seront toujours préférées à cette cy.“ Sic etiam in diplomate Confœderationis inter Carolum VII. Regem Galliae et Philippum Mariam Ducem Mediolani de a. 1424. l. c. P. I. n. 136. §. 4. solus papa excipitur, utpote aduersus quem hoc foedus pacificentes extendere noluerunt. Huc diploma apud Leibnic. P. I. n. 27. Foederis aures in quo nulla plane gens excipitur, sed contra omnes auxilium praestandum promittitur, exemplum occurrit in Leibnicii Codice saepius iam laudato P. I. n. 86. quo loco diploma exhibet renouatae inter Castellae et Franciae reges confœderationis de a. 1345. ibi §. 4. „Videlicet quod dictus Rex Castellae — haeredes et successores Regni sui Castellae — iuuabunt et „confortabunt — Dominum Philippum R. Franciae, haeredes et successores suos reges Franciae — contra omnem hominem uiuentem et „uicturum ad defensionem et tuitionem“ Aliud exemplum uid. l. c. P. I. n. 5. in confœderatione Philippi Sueui Romanorum Regis; et Philippi Augusti Regis Galliae, contra Richardum R. Angliae et quoscumque alios inimicos regis Francorum de a. 1198.

§. XXIII.

Tantum de diuersis pacti bellici, de quo hoc in capite sermo est, speciebus. Iam, quibus modis obligatio ex tali pacto orta tolli possit, paucis videamus. Ex iis, quae in theoria generali (§. 14.) dicta sunt, satis patet, gentem quae obligationem hanc pactitiam violat, alteram gentem cum qua pactum celebravit laedere, atque ita per hanc ipsam violationem huic, quoties amica compositio locum inuenire nequit, iustam belli causam praebere. Quo facto, ipsum etiam pactum, quod unionem inter has gentes introduxerat, non potest non resolui. Sed et aliae existere queunt determinationes, quibus positae obligatio per huiusmodi pactum bellicum contracta, cessare debet. Ponamus enim tale pactum a gentibus quibusdam initum esse, tunc illud vel eam habet indolem, ut conuentioni de alio obiecto celebratae adiectum fuerit (a), vel minus, seu peculiari ratione celebratum est. Priori in casu distinguendum est, utrum pactum bellicum adiectum solius conuentionis illius principalis intueri celebratum fuerit, an uero non? Illo in casu, cessante conuentione principali, pactum etiam bellicum adiectum concidere debet, et sine accedente renouatione non subsistit; hoc uero in casu, cessante licet conuentione principali, pactum bellicum valide subsistit, usque dum ea, quae secundum illius

D 2

teno-

tenorem praestanda sunt, vere praestita fuerint. Sin autem pactum bellicum peculiari ratione initum esse ponatur, vel cum pluribus gentibus eiusdem plane tenoris pacta celebrauit gens quam foedus illud obligat, vel non. Posteriori in casu, generalia quae iam exanthlauimus (§. 14.) principia locum inueniunt. Priori in casu, gens per pactum bellicum obligata ab hac obligatione, praeter modos liberandi generales, toties erit immunis, quoties non nisi bellum iniustum mouendo, obligationi quam contraxit obtemperare potest. Vnde prono veluti alueo fluit, hanc gentem ad praestandum genti foederatae auxilium in bello, quod haec mouit, iniusto, non teneri. Quapropter etiam bello inter caeteras gentes foederatas ingruente, illis foederatis, quae iniuria reliquis bellum intulerunt, numquam, bene vero iis quibus iniuria bellum infertur auxilium praestare tenebitur. Quod tamen vltimum tunc demum procedit, si in pacto expressum non fuerit, contra gentem foedere iunctam, copias mitti non posse a gente per initam pactationem obligata. (b)

a) Pacta bellica conuentionibus interdum aliis adici patet ex Leibnicio l. c. in Mantissa P. II. n. 33. quo loco exhibet instructionem legatorum quos Florentini a. 1422. ad Sultanum miserunt obtinendarum quarundam in mercatura commoditatum causa. ibi. §. 14. in f. „Item, se „demandasse patto che i Fiorentini non possino conuersare con nemici „suoi, ne dare loro ajuto, e di non far Lega con loro, e di non gli fare „guerra per passaggio e altra cagione: à questo si responda che non se „puo promettere, se non in questa forma, cioè de notificargli prima— „e se voleffe tempo determinato, e il termine fate sia lo minore si puo; „e simile s'abbia da lui.“

b) Doctrinam hanc de liberatione a pacto bellico, quoties belli mouendi iniustitia ipsius pacti resolutionem suadet, contingente, debemus Grotio in I. B. et P. Lib. II. cap. 15. §. 13. quo loco etiam dicta ex rerum gestarum monumentis corroborantur.

CAPVT II.

DE PACTIS BELLICIS INTER GENTES
MÉTYS A TERTIO INCVSSI INTVITV INITIS.

§. XXIV.

Iam in iis quae praecedunt (§. 15.) vidimus, pacta bellica de quibus hoc loco sermo versatur, tam ante bellum exortum, quam etiam durante bello iniri posse. Quum autem in omnibus negotiis metus bellici intuitu celebratis, id agatur, vt imperfectiones illae, ex quarum cogitatione metus oritur, remoueantur, facili ratione patet, ea omnia quibus bellum aliquod feliciter geri potest, ad obiecta pactorum bellicorum, quae iam breuiter pertractaturi sumus, referenda esse. Iam vero, quum felicior belli successus oriri possit, vel ex eo, quod alia quaedam gens, cum qua pacificimur, nobis quaecumque auxilium praestet; vel ex eo, quod in ipso bello gerendo impedimenta nobis non ponat; de vtroque autem tam ante bellum exortum quam bello iam durante pactum fieri queat; in aprico est, omne pactorum bellicorum, quae metus a tertio incussi causa ineuntur, discrimen ad duplicem quem modo laudauimus fontem redire.

§. XXV.

Tam ante bellum illatum, quam etiam eo iam illato, gens ad quam hoc bellum spectat, de auxiliis ab alio populo sibi suppeditandis cogitare, atque ita etiam de hocce auxilio cum altera gente pacisci potest. Iam vero, quum haec auxilii praestatio vel eo absolui possit, vt altera gens pro populo cui bellum imminet hoc bellum gerendum suscipiat, vel eo, vt coniunctis (quatenus per pacti tenorem hoc fieri debet) viribus bellum, de quo agitur, vna cum hoc populo gerat; facile patet, ad hanc pactorum bellicorum speciem referenda esse: I) pacta de bello pro alia gente suscipiendo; (a) et II) pacta de subsidiis in bello exhibendis. Quae subsidia, quum vel in eo consistere possint, vt certus militum numerus ab altero populo alteri mittatur, vel in determinata pecuniae summa exhiberi queant; triplicem iam

videmus cogitari posse pacti bellici de auxilio praestando initi-
tenorem.

a) Circa haec pacta distinguendum est, vtrum bello iam flagrante ineamur, an vero ante belli irruptionem? Si prius, sine interueniente alterius gentis, quae contra gentem paciscentem bellum gerit, consensu celebrari non poterunt; quum gens illa cogi nequeat, ad tertii cuiusdam populi in locum eius cum quo controuersiam habet, substitutionem admittendam. Sin autem hoc, tale pactum bellicum iure suo subsistet; quoties nimirum ratione gentis per illud obligatae, salua obligatione prius contracta iniri potuit.

§. XXVI.

Alter pacti bellici de quo verba facimus finis, in eo consistit, vt gens, cum qua paciscimur, impedimenta nobis in bello gerendo non ponat. Impedimenta autem in hoc genere poni possunt, vel eo, quod quaedam gens populo a quo nobis bellum imminet auxilium praestet, vel eo, quod certas actiones ad bellum procurandum comparatas, in territorio suo suscipi non patiat. Ad remouenda priora impedimenta inuentur Pacta Neutralitatis; (a) ad posteriorum vero impedimentorum remotionem, tendunt pacta, de permittendo exercitus per alterius gentis territorium transitu, (b) de legendo in eodem territorio milite, et quae sunt reliqua; quae si singula enumerare velimus, dies nos deficeret.

a) Pacta Neutralitatis pro diuersis, quas populus cum quo paciscimur erga alias gentes habet, relationibus, differunt. Hic populus nimirum, vel foedere quodam iunctus est alteri populo cum quo controuersiam habemus, vel non. Si hoc, nome n generis pactum initu retinet; sin illud oritur pactum de recedendo a foedere prius inito; quod valide celebrari numquam potest, nisi iusta adsit causa foederis illius delinquendi; atque ita huc faciunt principia §. 14. et 23. a nobis proposita. Exemplum huiusmodi pacti bellici vid. apud Leibnium in Mantissa C. I. G. P. II. n. 43. quo loco in tractatu inter Carolum V. Imp. et Christianum Daniae Regem a. 1544. inito §. 4. haec verba leguntur: „Item, so ist auch bewilligt, das in betrachtung dieser Vereinigung der „hochgem. erwelte Königh von allen und ieden pacten und bund- „nissen, die er mir dem Koenigh von Frankreich oder iemand andern „eingangen und bewilligt haette, — abstehe, sig derselben gaentzlich „enrichlagen, verzeihen und enthalten solle.“

b) Probe hoc loco notandum est, obligationem ad permittendum exercitus alterius gentis transitum, pertinere ad seruitutes naturaliter
inter

inter liberos populos constitutas; in quo nobis adstipulantur Grotius de I. B. et P. Lib. II. cap. II. §. 13. et Nic. Hertius in diss. de servitute naturaliter constituta. S. I. §. 3. seqq. Sed ad hoc, ut obligatio haec naturalis subsistat, requiritur, ut bellum, cuius causatransitus fieri debet, sit iustum, et ut ipse etiam transitus fiat adhibitis cautionibus, quae gentem per cuius territorium transeunt milites, securam praestare ab omni iniuria possunt. Quo hoc etiam refertur, ut milites incedant inermes, et in minores manus diuisi. Quae cautiones quum saepius obseruari non possint sine maximis populi qui bellum gerit incommodis; facile patet, pactum bellicum de permittendo agminis transitu, cautionibus illis remissis, hoc in casu aliquando ineundum esse. Exemplum huiusmodi pacti praebet Fortfnerus ad Lib. XII. Annal. Taciti cap. 62. in conuentione inter Vrbanum VIII. P. M. et Ducem Mutinensem superiori saeculo inita.

§. XXVII.

Quum tale pactum bellicum, quale hoc loco spectauimus, intuitu metus belliciactu a tertia gente illati, ineatur; iam in aprico est, cessante hoc metu, ipsam quoque obligationem pacto illo contractam, et iura ex eodem promanantia cessare debere, nisi paciscentibus vel in ipso pacto ineundo, vel etiam post profligatum metum bellicum placuerit, ut haec pactio, deficiente licet illius causa principali, adhuc subsistat. Quod ad caeteras causas attinet, quibus existentibus huiusmodi pactum soluitur, eadem plane sunt cum iis quas iam supra (§. 14. et 23.) laudauimus; si hanc vniam addere velimus, quod gens pacto obligata, si a populo, contra quem bellum geritur, vi cogatur ad delinquendum pactum, ab obligatione sua liberetur. Caeteroquin autem facili ratione patet, fieri non posse, ut gens quae tali pacto causam dedit a bello discedat, nisi alteram gentem cum qua pactum illud celebrauerat, ab omni iniuria quam a populo, contra quem bellum gestum fuit, sentire forsan possit, tutam praefiterit.



CAPVT III.

DE PACTIS BELLICIS INTER GENTES QVAE
CONTROVERSIAM HABENT INITIS.

§. XXVIII.

Alia ex his pactis bellicis, ad quorum pertractationem nunc progredimur, ante bellum actu motum, alia autem in ipso bello iniri, iam supra diximus. (§. 15.) Sed est quaedam huiusmodi pacti species, quae eam habet indolem, vt ad tollendum tam futuri quam praesentis belli metum referri possit. Quum enim omnia haec pacta bellica tendant ad remouendum metum bellicum: iam patet, illa vel eum habere tenorem posse, vt hunc metum in totum tollant, vel solum pro parte. Metus bellicus in totum tollitur, quoties per pactiōnem initam ea quae bello ansam aut praebuit, aut praebere potuit controuerfia rescinditur; pro parte autem hic metus remouetur, quoties hac ipsa controuerfia non rescissa inter gentes ad quas bellum spectat, belli causa per pactum nonnulla constituuntur. Vtraque pacta pro obiectorum circa quae versantur discrimine, tam bello nondum moto, quam eo iam moto celebrari possunt. Vnicum autem pactum, ad eundem licet finem, controuersiam puta tollendam, tendens, transactio nimirum incuitu certae controuersiae inter gentes obtinentis, interuenientibus arbitris inita, tam ante bellum quam in bello celebrari potest. De hoc igitur pacto primum, deinde de caeteris, quae huc reuocandae sunt pactiōnibus, pauca euoluemus.

§. XXIX.

Pactum, quo inter gentes conuenit, de deuoluenda controuersiae, quae inter illas obtinet, decisione, ad tertii cuiusdam arbitrium (a), Compromissum dicitur; et facile patet, tale pactum valide iniri posse tam pacis quam belli tempore. (b). Quum autem in hac ipsa pactiōne tertius quidam interueniat, eam, si exitum habere debeat, non nisi accedente tertii illius consensu iniri

iniri posse in aprico est (c). Per tale vero pactum, quum gentes sese obligent ad recipiendam et exsequendam tertii, in quem compromiserunt, decisionem; nemo non videt, gentem quae huic decisioni obtemperare recusat ius gentium violare, atque ita vel a gente cum qua pactum celebravit, vel ab alio quovis, cui in ipsa pactioe ius sententiam ab arbitro latam exsequendi commissum est, cogi posse ad ea praestanda quae per decisionem definita sunt d).

a) Arbitrum ipsum tam priuatam personam quam gentem esse posse historia nos docet. Sic enim Philippus Francorum et Eduardus Angliae Reges, a. 1298. in Bonifacium VIII. P. M. tamquam in priuatam personam compromiserunt. En tibi verba ipsius compromissi huc spectantia: „Tandem iidem Reges per speciales nuntios et procuratores ipsorum, ad hoc ab eis mandatum habentes, in nos Bonifacium, „diuina prouidentia Papam VIII. tamquam in priuatam personam et „Dominum Benedictum Gaytanum, — super omnibus et singulis „discordiis — quae fuerant et erant, — et esse vel verti possent inter „ipsos Reges, — absolute et libere compromittere curauerunt,„ vid. Leibnizius in Prodro. C. I. G. n. 16.

b) Quin etiam in incertum euentum compromitti potest. Sed rarius hoc fieri solet ante bellum actu motum; quapropter infra §. 35. de pacto bellico, quod tale compromissum inuoluit, dicemus.

c) Exemplum consensu ab eo, in quem compromissum fuit, expresse interpositi, occurrit apud Leibniz. l. c. n. 69. et 70. hoc loco enim exhibetur diploma Philippi Valesii, Franciae regis, per quod ex parte in se recipit compromissum, quod factum erat ab Episcopo Leodiensi Adolpho, et nonnullis aliis principibus ab vna parte, et Iohanne Duce Lotharingiae ab altera parte a. 1332.

d) Ad euitandam compromissi violationem, inualuit inter gentes, vt in ipso compromisso poena violatori dicitur. Sic apud Leibnizium l. c. n. 99. in Compromisso Henrici R. Castellae, de a. 1368. super omnibus controuersis quas habebat cum Rege Arragoniae, §. 2. hunc in modum cautum est: „Et hoc sub obligatione omnium Regnorum, „bonorum, haeredum et successorum, et insuper sub poenis per di- „ctam Regem Franciae — et eius arbitrio declarandis et etiam appli- „candis,„

§. XXX.

Inter pacta bellica quae huc spectant, bello nondum moto ineunda, prima occurrit Transactio super controuersis inter gentes paciscentes obtinentibus; quae non est nisi pactum

E

me-

metus bellici intuitu celebratum, per quod controuersiae, quae inter gentes paciscentes intercedunt, bello nondum moto tolluntur e medio. (a) Transactionem hanc bellicam a compromisso, de quo modo diximus, non nisi in eo differre, quod hoc interueniente tertio, illa nullo interueniente fiat, nemo est qui non videat. Eodem itaque modo, quo ex compromisso obligatio oritur ad obtemperandum iudicis compromissarii decisioni; ex huiusmodi transactione rite inita obligationem permanere ad id praestandum, quod per illam definitum est, res ipsa nos docet. Quod si igitur iis quae pacto placuerunt altera gens stare recuset, iura alterius gentis eo ipso laeduntur; quae itaque ex tali laesione ius nanciscitur media sufficientia adhibendi ad consequenda ea, quae sibi a gente foedifraga debentur.

a) Illustre huiusmodi transactionis, sub obligatione omnium bonorum unitae, exemplum, habemus in concordia inter Iacobum R. Aragoniae, et Iacobum R. Maioricarum de a. 1327. ibi §. 11. et 12. „Et pro praedictis omnibus complendis ac firmiter attendendis, obligamus vobis dicto Dom. R. Aragoniae, et vestris nos et nostros et omnia bona nostra; — Ad haec nos Iacobus D. G. Rex Aragoniae — tenentes nos pro contentis et pacatis cum praedictis a vobis — nobis recognitis ac concessis, — per nos successoresque nostros, laudamus et approbamus vobis et vestris successoribus — praedictum Regnum Maioricarum, insulas, Comitatus et terras, quae a nobis in feudum tenentis.“ Testes insuper in tali pacto celebrando adhibent solere diploma modo laudatum apud Leibnic. C. I. G. n. 16. §. 13. docet.

§. XXXI.

Alterum quod bellum praecedat pactum, de controuersiae, quam gentes paciscentes habent, decisione, ad bellum deuoluenda inuit; sed, medio aeuo frequentissimum, hodie in vfu esse desit (a) Praefato enim aeuo bellum praecedebat diffidatio, qua acceptata, et consensu a diffidante in hanc acceptationem declarato, oriebatur obligatio ratione paciscentium, ad expectandum belli euentum, et ad obtemperandum victori. Nostris autem temporibus iure gentium, exorta inter gentes controuersia, aliae inualuerunt rationes significandi sibi inuicem, gentem de bello alteri populo inferendo cogitare.

a) Egregium huius pacti exemplum nobis exhibet Nithardus de dissensionibus filiorum Ludouici Pii Lib. II; vbi de Lothario et Ludouico propter

pter Coloniam Munatianam a. 840. sibi cum copiis inuicem obuiis, verba faciens ita pergit: „Quumque Lodhuuicus viriliter resisteret, et Lodharius illum absque proelio sibi subigere diffideret, sperans Karolum facilius superari posse, ea pactioe proelium diremit, vt III. Idus Nouembr. eodem loco rursum conueniant, et ni concordia statutis interueniat, quid debeat armis decernant.“ Aliud exemplum exhibet epistola diffidationis Adolphi Regis Romanorum, ad Philippum Pulcrum Regem Franciae, de a. 1294. cum responsione Philippi Regis ad hanc diffidationem; in qua ea quae sequuntur verba occurrunt, id quod in §pho diximus, optima ratione corroborantia: „Philippus D. G. Francorum Rex — — nuper vestras — — patentes recepimus litteras; — — Quare mittimus ad vos religiosos viros, dilectos nostros, — — ad sciendum si a vobis tales litterae processerint; quae si de vestra conscientia emanarunt — — nisi de contrario nos certificaueritis, per praesentium portitores — quum ex eorum tenore diffidationum materia colligatur, vobis tenore praesentium intimamus, quod tanquam diffidati a vobis deinceps erga vos proponimus nos habere.“ Has epistolas et plura exempla habes apud Leibnic. l. c. n. 18. n. 79. et 80. vt et no. 138. et 139.

§. XXXII.

Pacta bellica in ipso bello inita, vel eam habent indolem, vt ad tollendam quae obuertatur inter gentes bellum gerentes controuerfiam tendant, vel minus. De prioribus infra dicendum erit; iam de posterioribus. Ad haec nimirum referenda veniunt: I.) Pactum a parte gentis cum hostibus euitandi imminens periculi gratia initum. II.) Pactum de induciis. III.) Pactum de remissione et redemptione captiuorum. Quod ad primum ex his pactis modo laudatis attinet, iam supra (§. 9.) docuimus, partem gentis cum hostibus urgente necessitate valide pacifici posse, si ex hac pacto ius aliquod genti quaeratur. Iam vero haec pacta a parte gentis cum hostibus iniri solita, de quibus loquimur, hunc semper finem agnoscunt, vt certa praestatione ab hac parte gentis hosti exhibita, hic contra eam hostiliter agere desinat. Quo posito ex tali pacto totam gentem ius acquirere, hostes cogendi ad desistendum a malis parti gentis quae pactum iniri inferendis, in aprico est. Quum autem omnia pacta bellica sancte seruanda sint, iam apparet, partem illam gentis, ea quae hostibus promisit, implere detrectantem, a tota gente cuius pars est cogendam esse, ad promissionem explendam. vid. Grotius de I. B. et P. Lib. III. cap. 23. §. 10.

E 2

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Paſta de induciis iniri ſolita, in eo omnia conveniunt, quod ad certum tempus certatio per vim (qua bellum pro actu acceptum abſolvitur) tollatur. (a) Prouti autem tale paſtum, vel ad totos populos per vim certantes tenorem ſuum extendit; vel ſolum ad partem eorum: priori in caſu Induciae oriuntur generales, poſteriori in caſu Induciae particulares. Ex quibus factis iam patet, paſtum de induciis generalibus, quum ad integram gentem, quae cum altero populo bellum habet, pertineat, non niſi accedente ſummae poteſtatis conſenſu iniri poſſe; initum vero paciſcentes obligare, ad abſtinendum ab omnibus qui hoſtilium nomine venire poſſent actibus, vſque dum tempus in paſtione determinatum praeterlapſum fuerit. (b) Paſtum autem de induciis particularibus, certationem per vim non niſi reſpectu partis cuiusdam populi, qui bellum gerit, remouet, atque ita etiam ab iis qui huic parti praefunt, quatenus inde ad totam gentem incommoda non redundant, ſed potius rerum geſtarum determinationes neceſſitatem imponunt, valide iniri poteſt. Videmus igitur ius de Induciiſ particularibus paciſcendi ad duces bellicos pertinere.

a) Ex quo facili negotio efficitur, inducias tam generales quam particulares bellum ipſum non tollere, ſed ſolum actus bellicos ad certum tempus ſuſpendere. Quod tamen temporis ſpatium longiſſimum ſaepius eſſe poteſt. Sic, vt alia exempla ſilentio inuoluamus, Ferdinandus Catholicus Rex Hiſpaniarum, cum Alphonſo V. Rege Portugalliae a. 1479. inducias celebrauit ad centum annos et vnum. vid. Conneſtagius de vnione Luſitaniae Lib. I.

b) Hinc ad euitandam omnem arma conferendi occaſionem, in paſto de induciis plerumque de eo prouidetur, vt omnia durantibus induciis in eodem ſtatu maneant, in quem per bellum deducta ſunt. Exemplum induciarum quae hoc ſub tenore factae ſunt, nobis exhibet diploma induciarum quinquennialium inter Philippum R. Galliae et Iohannem R. Angliae de a. 1214. ap. Leibnic. l. c. n. 8. ibi: „nos autem et homines noſtri, et „impreſi erimus in ea tenetura, in qua eramus praediſta die Iouis, in qua „data eſt iſta Treuga et Iohannes Rex Angliae et homines impreſi ſui ſi- „militer erunt in ea tenetura, in qua erant praediſta die Iouis, vſque ad „praediſtos V. annos completos.“ Ad ſolemnitates in induciis inuendis inter gentes olim obſeruari ſolitas, pertinebat iusiurandum a paciſcentibus et quibusdam teſtibus praefandum; prouti patet ex induciarum inter Fridericum I. Imp. et Vilelmum R. Siciliae, de a. 1177. diplomate. Interdum ve-
ro

ro etiam testibus, qui iureiurando ab iis praefito adhibebantur, simul hoc negotium dabatur, vt curarent ne quid fieret contra Inducias; vnde Dictatores et Emendatores Treugae dicti sunt. vid. Leibnic. l. c. in Prodomo n. 3. et P. I. n. 8. §. 3. Inducias autem etiam eum habere posse tenorem, vt non omnia maneant in eo statu in quem bellum ea deduxit; docent Induciae inter Imperatorem et Gallos 1684. initae, per quas Galli quaecumque post Kal. Augusti 1681. occupauerant restituere cogebantur. vid. Lunigium in Syll. negot. publ. Tom. I. p. 863. et Diar. Europ. Tom. XII. p. 630. Tempore vero praefinito iam praeterlapso induciae, si de earum continuatione agatur, expresse prorogandae sunt. Exemplum vid. apud Leibnic. l. c. n. 53.

§. XXXIV.

Tertium quod huc spectat pactum, (§. 32.) est id quod de remittendis et redimendis captiuis inter gentes quae bellum gerunt iniri, et vulgo: ein Cartell, dici solet. Tali nimirum pacto determinatur quam ratione in bello ab vtraque parte capti ad suos remitti, et quale lytrum soluere singuli debeant. Quum autem ipsius reipublicae interst, milites ab hostibus captos, ad patriae exercitum redire, atque ita etiam quae ratione huius reditus determinantur non possint non ad totam gentem spectare; facili opera perspicimus, tale pactum de redimendis captiuis non nisi consentiente eo penes quem summa in gente potestas est celebrari posse; (a) celebratum vero, metum bellicum eatenus tollere, quatenus spes de strenuorum militum copia semper habenda, inita hac pacto crescit.

a) Quod ipsum satis patet ex tractatu de redimendis captiuis inter Imperatorem et regem Francia a. 1692. ad deputatis ad hoc ipsum negotium ab vtraque parte generalibus excubitarum praefectis, inito; quem exhibet Nic. Herrius in appendice ad Diss. de Lytro. In hoc enim tractatu art. 64. expresse, eorum quae placuerunt, validitas ad confirmationem vsque ex parte superiorum accedentem suspenditur, ibi; „Zu mehrerer Versicherung diesen Cartells haben wir reciproquement die Ratification dieses „Tractats inner Zeit zweyen Monaten von Ihro Kayserl. Maest. und Allerchristl. Mai. so sie es für genehm halten versprochen.“

§. XXXV.

Quod ad pacta bellica attinet, quae in bello ipso inter gentes, ad quas hoc bellum pertinet, de controversia quam habent finienda ineuntur, haec vel ita comparata sunt vt controversiam mediate, vel ita, vt eam immediate terminent. Ad

priora referenda sunt, pacta de deuoluendo controuersiae exitu, in singularis vel etiam inter pauciores certaminis euentum; ad haec Pacificatio seu foedus bellum dirimens spectat. Pactum de deuoluendo controuersiae exitu, in certaminis cuiusdam cui non totus interest ab vtraque parte exercitus, remotissimae iam antiquitati non incognitum, (a) ad euitandam sanguinis profusionem, ad profligandas agrorum calamitates, et ad auertenda vrbium excidia, atque adeo metus bellici intuitu celebratur. Tenor autem huius pactiois eo semper redit, vt ea pars quam e certamine illo, inferiorem discedere contingat, alteri populo ad ea praestanda teneatur, super quibus controuersia exorta est, et quae praeterea in ipso pacto definita sunt. Quod si igitur praestationibus, dolose procedat; hoc ipso iura gentium violantur, et bellum quod huius gentis intuitu iustissimum fuerat iam iniustum euadit.

a) Notissimum est pactum bellicum illud, quod Horatiorum et Curiatorum de imperio certamen praecessit; apud Liuium, Hist. Lib. 1. cap. 25; cuius foederis violati poenam apud eundem scriptorem legimus l. c. cap. 27. 28. 29. Quod autem ad solemnitates attinet, antiquissimo aevo in celebrando huiusmodi pacto adhiberi solitis, quae sacrificio maxime et solemni Deorum inuocatione absoluebantur, egregium nobis exemplum exhibet Homerus in *Ιλιάδ.* Γ. quo loco recitat omnia, quae in tali pacto-
ne Troianos inter et Graecos celebrata, acciderunt, dum ita pergit:

— — — — — ἀτὰρ κήρυκες ἀγαυοὶ
 Ὀρμια πρὶά θεῶν σύναγον, κρητῆρι δὲ δῖον
 Μίσχον. ἀτὰρ βασιλευσὶν ὕδαρ ἐπὶ χεῖρας ἔχουαν.
 Ἀτρεΐδης δὲ ἐρυσσάμενος χεῖρεσσι μάχαιραν,
 ἢ εἰ παρ' ἑξίφεις μέγα κούλεον αἰεὺ ἄορτο.
 Ἀρνῶν ἐν κεφαλῆων τάρνυε τρίχας αὐτὰρ ἔπειτα
 Κήρυκες τρώων καὶ ἀχαιῶν νέμειν ἀριστοῖς.

et paulo post nullis interiectis:

ἢ, καὶ ἀπὸ φομάχης ἀρνῶν τάρνυε κηλεῖ χαλκῶ.
 Καὶ τὴς μὲν κατέθηκεν ἐπὶ χθονὸς ἀσπαίροντας
 Ὀῖον δ' ἐκ κρητῆρος ἀφυσσάμενοι δειπάσσει
 Ἐκχεον, ἢ δ' εὐχοντο θεοῖς αἰεὶ γενέτησιν.

§. XXXVI.

Hoc vnicum superest, vt de pacificatione pauca subiungamus. Haec nimirum est pactum, quo controuersia inter gentes pacifcentes in bellum deducta immediate finitur. Quod pactum, quum legis instar sit inter gentes: nemo non videt, illud non nisi interueniente omnium populorum quorum interest consensu, qui hunc in finem legatos suos mittere solent, celebrari posse. Vt igitur maior fides huic pactioni concilietur, plures saepius gentes in illa ineunda solemniter promittere solent, euentu aliquando existente, vt aliquis contra hanc pacificationem quid admitteret, se contra illum pacis tuendae gratia bello et armis procedere velle. Quo facto facile perspicitur, gentes quae in ipsa pacificatione sese obligarunt, ad prouidendum de pacis ipsius lege a populis quorum interest sancte seruanda, in casu pactionis illius violatae existente, non solum a parte laesa, sed etiam alteram earum promissis suis solemnibus stare detrectantem, ab altera vel a caeteris gentibus quae eandem contraxerunt obligationem cogi posse, ad ea praestanda quae concordiam restituere, et omnem causam eo perducere queunt, vt suum cuique tribuatur. Probe tamen notandum est, intuitu harum etiam gentium, quae ad fidem pacificationi faciendam, eo quem laudauimus modo, interueniunt, principia generalia quae in superiori doctrina (§. 14.) de modis a pacto bellico liberationem consequendi attulimus, omnino obtinere. (a) Quod vero ad tenorem ipsius huius pacti bellici attinet, obligatio quae ex illo intuitu alterius gentis oritur, vel ita comparata est, vt nexum aliquem subiectionis in relatione ad alteram gentem inuoluat, vel minus. Priori in casu Pactum seu Foedus inaequale; posteriori in casu Pactum seu Foedus aequale dicitur. (b) Videmus igitur essentiam pacificationis eo absolui: vt I.) controuersia inter gentes quasdam quae bellum sibi inuicem inferunt ea quae in pacto placuit ratione, atque ita II.) etiam bellum ipsum finiatur. Quapropter omnia alia hoc pacto contenta pro accidentalibus habenda erunt, quo v. c. pertinet determinatio rationis damnum hoc bello tertio cuidam illatum reparandi (c).

a) Olim proceres ipsarum gentium ad quas pacificatio spectabat, in instrumento pacis declarare frequentius solebant, se genti suae si pacem

vio-

violaret nullo plane modo assistere velle. vid. Leibnic. I. c. n. 5. quo loco diploma exhibet de a. 1319. quod declarationem continet procerum Galliae de non assistendo Regi Philippo Longo contra Robertum Comitem Flandriae, si Rex pacem cum eo celebratam violaret; ibi §. 5. „et Pares Franciae — — eidem Regi si contra conuentiones praedictas vel aliquam „ex eis faceret aut veniret per se vel per alium; in hoc assistere aut eum „iuuare minime teneantur.“

b) Haec foederis in aequale et inaequale distinctio ad ea etiam pacta bellica applicari potest, quae §. 30. et 35. recensentur. Ad alias enim pactioes bellicas ideo applicandam eam non esse crediderim, quia gens quaedam certe non nisi imminentis belli, aut iam illati metu coacta nexum aliquem subiectionis cum altera gente, a qua bellum infertur, temere contrahet. Bello autem imminente aut illato locum sibi vindicat illud Ciceronis in Epist. ad diuersos Lib. V. epist. 21. „Quauis tuta conditione „pacem accipere malui, quam viribus cum valentiore pugnare.“ Foederum vero inaequalium exempla omnium fere temporum historia larga nobis manu exhibet. Vnicum non nisi pactum huc faciens in praesenti addemus. De Baiouariis nimirum Auentinus Annal. Boiic. Lib. III. c. 1. memoriae prodidit, eos a. 496. post deuictos in praelio ad Tolbiacum Alemannos, et amisso in eodem praelio rege, foedus inaequale celebrasse cum rege Francorum Clodoueo, huius tenoris, vt Boii quidem de corpore suo principem legerent, at ducem non regem appellarent, atque in hoc ipso negotio auctores fierent reges Francorum, porro vt in bellis auxilio essent Francis, eosdemque quos illi pro amicis et hostibus haberent.


c) Huc etiam referre debemus omnes alias pactioes, quae bellici licet merus intuitu non inita, adiici tamen pacificationi interdum solent. Sic in pacificatione a. 1732. inter Annam Russorum Imperatricem et Regem Persiae celebrata mercaturae commodis prospectum est; ita vt mercatores Russici in Persiam commeantes ab omnibus plane vectigalibus exactionibus et muneribus alias Regi Persarum praestandis, liberi pronunciantur. Cuius pacis instrumentum vid. apud Müllerum, in Sammlung Russischer Geschichte. P. II. p. 154.

§. XXXVII.

Quum pacificatio sit pactum finiendi belli, et remouendae controuersiae inter gentes gratia initum; iam in aprico est, hoc pactum vim suam extendere vel ad omnes plane gentium pacificentium controuersias, tam praeteritas et praesentes quam futuras, vel minus. Priori in casu Pax aeterna dicitur; posteriori in casu ad certam controuersiam restricta nominari potest. Quae quum ita sint, nemo non videt: I.) in pace aeterna pactum de statu per vim certantium in perpetuum remouendo inter pacificen-

ciscentes, (quod iam in iis quae praecedunt (§. 19.) quodam-
 modo delineauimus) et quidem bilaterale intercedere; atque ita
 II.) tum demum gentes quae talem celebrarunt pacificationem
 progredi posse ad controuersiam quae forsan inter illas exoritur
 per bellum finiendam, si omnes plane modi controuersiam hanc
 e medio tollendi, tam in ipsa pacificatione, quam per generalia iuris
 gentium principia definiti, (quo pertinent pacta §. 29. et 30 a
 nobis laudata) locum inuenire nequeant. In pacis autem aeter-
 nae instrumento, si ipsa pacificatio valide subsistere debeat, tales
 finiendi controuersias rationes determinari debere, tum praece-
 dentes doctrinae; (§. 19.) tum vero etiam humanae naturae indol-
 es, ad negligendam obligationem remediis cogentibus non mu-
 nitam, qualis est obligatio ad transactionem et ad compromissum,
 procliuus, egregie commonstrant. Quibus positis abunde patet;
 III) Pacem aeternam quae foedus inaequale inuoluit violari, quo-
 ties gens uictrix alteri populo duriores imponit, ac in pacto de-
 finitae sunt, conditiones, atque ita hoc in casu gentem deuictam
 omnia moliri licite posse, quae ad remouendas has iniurias face-
 re queunt; IIII) Pacis ad certam controuersiam restrictae condi-
 tiones semper valide subsistere, etiamsi in pacto bellico, super
 aliis controuersis inter easdem gentes, celebrato, repetitae
 haud fuerint, quatenus priori nimirum dispositioni per pacti re-
 centioris placita non derogatur. Quibus ita disputatis, huic
 quam TIBI, HUMANISSIME LECTOR! exhibui, sciagra-
 phiae, in posterum fauente DEO. O. M. de singulis, quae
 breuiter delineauimus, fusus dicturus, iam im-
 pono Colophonem.





ORNATISSIMO ET DOCTISSIMO
CANDIDATO
ERNESTO CAROLO WIELAND

S. P. D.

CAROLVS RENATVS HAVSEN.

HISTORICARVM P. P. O. BIBLIOTHECAE PRAEPECTVS, NONNVLARVM ACADEMIARVM SOCIVS HONORARIVS ET ORDINIS PHILOSOPHORVM
H. T. DECANVS.

Adeo bene praeparatus litterarum bonarum studiis, miraque ingenii exornatus felicitate ad nostram accessisti Academiam: ut omnes, quibus innotesceres, magnam ac praeclearam in TE tuisque doctrinae studiis, ponerent spem atque fiduciam. Et impleuisti non solum eam, sed etiam plane superauisti. Etenim incredibili ardore discendi, philosophiae praeceptis ingenium excitauisti, Historiarum studia excoluisti, eademque contentione animum ad Iurisprudentiam addiscendam applicuisti. Et profecto Tuae ingenii diligentiaeque virtutes, alius exempla ob oculos poni possunt: quae intueantur, videantque, quid natura hominis confirmata doctrinaeque praeceptis excolta, efficere valeat. Igitur et Ordini nostro, cum solempne **TECVM** explicandi ingenii gratia, institueretur colloquium, abinde satisfecisti, Omnium animum **TIBI** conciliauisti, insignemque laudum gloriaeque collegisti materiam. Neque vero inter eos referri poteris, qui sese litteris abdiderunt, nihilque in lucem et conspectum hominum, aut in communem fructum proferre audeant: edidisti specimina, quorum lectio et innatum eum plerisque Silesiorum ingenii, pulchritudinis sensum, ac illam eleganter acutemque fingendi facilitatem satis ostenderet: elaborauisti hanc dissertationem, quae omnino

omnino omnibus probabitur, qui de his ipsis doctrinae studiis recte pariterque sapienter iudicare solent; iudicibus ac aestimatoribus. Defendes eam sine omni auxilio: atque mihi, qui ex more alias recepto **TIBI** adesse deberem, partes demandavisti aduersarii. Suscepi eas ipsas eo libentius, propterea quod, adeo commoda opportunitate, patam dicere et profiteri possim quanti ingenium virtutesque **TVAS** colam ac aestimem. Praeter ea in eo elaborabo, ut, ostendendi Celeberrimis nostrae Academiae Doctores, praestantissimi vim tui ingenii, excitandique et aliorum **TVI** illustris exempli auctoritate, naturam: **TIBI** larga praebeatur occasio. Deus immortalis **TE** tueatur, defendat, rebusque **TVIS** prospiciat indulgentissime: **TVI** Nominis virtutumque vero memoria semper grata nostrae Academiae, iucunda Amicis, gloriosa denique et mihi ac reliquis **TVIS** erit Doctoribus. Vale. Scripsi
D. XXX. Mart. MDCCLXXVI.

SVMMORVM QVOS PHILOSOPHIA LARGITVR
 HONORVM
 CANDIDATO DIGNISSIMO

S. P. D.

LVDOVICVS GODOFREDVS MADIHN

IVR. PROF. PVBL. EXTRAORD. ET FACVLT. IVRID. ASSESS.

Maximopere sane laetor quod et ego inter tot tantosque plausus
 publice hac mihi feliciter oblata occasione, testari **TIBI** possim,
 quanti **TE** habeam, et quanti **TE** semper habiturus sim. Nihil
 enim quidquam mihi iucundius atque exoptatius contingere potest,
 quam si eos inter amicos meos referre possim, qui Patriae praesi-
 dium, qui litteris ornamentum exstituri sunt. Quare etiam
TVAM, animo meo carissime, consuetudinem magni facio. Ex
 quo enim nostram salutasti Viadrinam statim omnes boni mecum
 de **TE** optime sperarunt, et ita **TE** etiam gessisti, itaque **TE** in
 omnibus consabulationibus praestitisti ut, quod tantum ad me perti-
 neat, inprimis Iurisprudentiae de sacerdote, omnibus iis initiis
 subsidiis, sine quibus nemo unquam eiusmodi munus rite sustinere
 potest, gratulari possim. Probat id iam luculenter **TVVM** quo
 legitimo tramite aditum **TIBI** ad docentis munus paras, specimen.
 Illud unice opto, ut omnem operam, omneque studium nostrae arti-
 quae nulli plane cedit, dicare velis. Quo magis illud vitae genus
 quod eligis, molestum et spinosum esse solet, eo magis laudandum est
TVVM consilium. Neque enim **TIBI** virus maleolorum parcebit,
 neque deerunt **TIBI**, qui, quum nulli plane sint, aliorum conamina
 gratum acceptumue populo Musisque praestiterint, aliorum conamina
 reprehendere in easque non publice sed clam precarioque inuehere
 non erubescunt. Bene autem scio **TE** et in posterum inefficacem
 horum liuorem speraturum esse. Quod ad me attinet, ego **TIBI**
 sancte spondeo me nunquam amore et adfectione cuiquam cessurum,
 omnique occasione me ostensurum quantum omnia Madihnii poleant
 Wielando suo. Ita valeas meique etiam in posterum memor sis.
 Scrib. Traiect. cis Viadr. d. XXX. Mart. MDCCLXXVI.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
 SVMMORVM PHILOSOPHIAE HONORVM
 C A N D I D A T O

AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

OPPONENS

C. A. VIVIGENTZ A WINTERFELD

VCAROMARCH.

EQVES IN CVETERBERG ET FALCKENHAGEN.

Profecto, qui emensis Philosophiae campis bonis in artibus stipendia meruerunt, si iurisprudentiae se tradunt, celeres non possunt non in hac regia arte prout Plato vocat facere progressus, eamque quam maxime exornare. Quanti enim ad masculam iuris Romani cognitionem sibi comparandam faciunt historica atque critica Legum interpretatione: tanto acumine atque iudicio principiiusque ex arte rerum cognoscendi causas desuntis opus est, tum in iurisprudentia generali; tum ei prae ceteris qui iura gentium pariter ac illud praeclarum iuris scientiae caput quod iura circa reipublicae administrationem illustrat perspicere cupit. Merito igitur de **TE** antistite suo iam laetatur Themis, gaudent quidquid est venustiorum hominum, gratulor mihi de amico; cum quanta in **TE** sit doctrina, quanta animi dotes iam satis euincat dissertatio **TVA**; cuius a laudibus late recensendis eo lubentius abstinco, quo magis suspectae videri debent omnibus qui amorem ac consuetudinem norunt, quae nos intercedunt. Officio opponentis de quo **TIBI**, quod amice in me conferre volueris, summas grates refero, ita defungar; ut omnibus adpareat, si difficile sit ab amico dissentire, ad firmandam tamen amicitiam conferre in contrarias aliquando ab eo partes abire. Plura non addam nisi votum quod apud me feruidum semper foueo, ut summum **TE** numen longam per annorum seriem saluum seruet incolumemque seruet **TE** in commodum reipublicae, seruet in honorem iurisprudentiae, seruet in delectamentum amicorum in quorum numero me etiam esse semper iubeas velis; qui nisi feceris stricto tamen pede sempiterno **TE** amore comitabor. Vale! mihi que faue!

G

Cest



C'est en vain, qu'un Esprit, rebuté du Parnasse,
 S'efforce de briller par son pauvre Génie,
 Tout gonflé d'un rien, mont sur mont il entasse,
 Ne pensant qu'avec peine une fois en sa vie!
 Mais d'un autre côté, pas ainsi quand au Sage;
 Méfiant de soi-même, il pèse ce qu'il dit,
 Faisant de son savoir modestement usage
 Il parle rarement, mais pense & réfléchit.
 C'est ainsi, Cher Ami! en parlant sans contrainte,
 Qu'est de Votre Génie, le naturel heureux;
 Et c'est pour le chanter, que ma Muse sans crainte
 Entonne ici pour Vous ses tristes & derniers Voeux!
 Mais, comme sans louer de manière indiscrete,
 Ce livret déjà seul le prouve au plus précis
 Mieux vaut sans doute alors, plus que l'art d'un Poëte,
 Plus qu'un Panégyrique, l'aveu de cent Amis!
 Bientôt en y pensant à cette heure fatale,
 Où loins de nos limites, le Sort Vous va mener;
 Alors en vains regrets mon amitié s'exhale,
 Et mille rêveries me viennent entraîner!
 Mais L'OLIMPE voyant tant de nouveaux merites
 Pourroit-il les laisser sans les recompenser?
 Non certes! — Choïssant de ses dons, les élites,
 Toujours Vous les verrés partout Vous devancer!

Ce sont là les sentiments sinceres que Vous
 portera toujours Votre ami fidele

CHARLES PHILIPPE ERNEST
 Baron de VERNEZOBRE,
 Opposant.



Frankfurt a. O., Diss., 1776-77

ULB Halle


007 520 611

3



W18





10

Gent. 7. num. 8.

1776/6 6

DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
PACTIS BELLICIS INTER
GENTES

P. 169.

QVAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV
PRO
GRADV DOCTORIS PHILOSOPHIAE
ARTIVMQVE LIBERALIVM MAGISTRI
RITE LEGITIMEQVE CAPESSENDO
D. VI. APRILIS MDCCLXXVI.
H. L. Q. C.
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI
SVBMITTET
ERNESTVS CAROLVS WIELAND
VRATISLAVIENSIS
REG. SOCIETAT. SCIENTIAR. ET ARTIVM FRANCO-
FVRTENSIS ASSESSOR.



TRAIECTI CIS VIADRVN,
TYPIS IOANNIS CHRISTIANI WINTERI.

